II.
DISSERTATIO
De
OPPIGNORATIONE FEUDORUM REGALIUM PARTICULARI SINE CONSENSU DOMINI JURE ET MORIBUS PERMISSA,

Pro Loco defensa à

JO. ANDREA FROMMANNO,
J. U. L. & Professore Extraordinario,

Respondente

CHRISTIANO FRIDERICO SCHICKHARDO, Nürtingensi.

Tubingæ A. 1699.

THESIS I.

QUæ concinnioris methodi gratia, veterumque ad exemplum JCtorum altiore nonnunquam solicitudine circa originationes vocum, tractatui ceu compendiosa quædam idea præfixarum, à plerisque institui solet disquisitio, eam sub initium hujus Disputationis à nobis prætermissam esse nemo mirabitur, qui modò considerabit, nobis, qua licet breviore via ad nostrum scopum tendentibus, non licuisse prolixius præliminari huic vocum indagini immorari. Iisdem etiam de causis excusatum nos iri speramus, dum seposito hac vice, quod ad evitandam, ex diversa nominum acceptione facilè oriundam obscuritatem, adornari aliàs consuevit, majore verborum in inscriptione positorum, examine, omissisque aliis quoad significandi vim iisdem æquipollentibus verbis, non nisi de Oppignorationis vero & genuino sensu, conveniente sc. & LL. Romanis & receptæ Germaniæ consuetudini, nonnulla hic præfanda duxerimus. Ingressus.

Oppignorationis de Jure Civili Justinianeo significatus & natura.

II. Oppignorationis, pignoris, item pignorationis varios inter significatus, vid. § 7. *I. de Act. l.1. pr. l.9. §.1. ff. de pignor.* ille cumprimis ad nos facit, quo per contractum realem creditori jus in re alicujus, propter crediti restituendi fidem, constituitur, arg. *l.1. §.f. ff. de pact. §. ult. I. q. mod. re contr. obl.* Wesenb. *in paratitl. t. de pign. & hypoth. n.3.* Quanquam ut de ista oppignorationis specie, quæ per nudum pactum sine traditione perficitur, data occasione nonnulla addamus, ipsa materiæ connexitas postulabit. Per istum contractum pignoris Jure Civ. Justinian. Creditori jus reale seu rem ipsam afficiens in re oppignorata constitutum fuisse, nemo ferè unquam post clarissimos tx. *l.18. §.2. de pign. action. l.12. Cod. de distr. pignor. l.17. ff. l.15. C. de pign.* dubitavit. Transiisse quoque per hanc rei traditionem in Creditorem possessionem, non quidem Civilem illam, qua quis animo domini rei incumbere solet, bene tamen naturalem, evincunt pariter jura in *l.22. §.1. de nox. act. l.13. pr. de usurp. & usuc. l.11. §.1. de pign. l.9. C. de pign. act.* occurrentia: Dominium verò apud debitorem remansisse, nec hoc jure unquam in Creditorem translatum fuisse, certissimum redditur per *l.35. §.f. de pign. act. l.12. de distr. pign.* Vultejus, *p.3. cons.18. n.18.* cujus rei fortissimum argumentum desumitur ex *l. 24. pr. de pign. act. l.63. §.f. de A. R. D. & t. t. C. de jure dom. imp.* ubi traditur debitoribus in solvendo cessantibus, creditores, qui pignus acceperant, cujus facilis & expedita distractio non esset, impetrare solere, à Principe, ut id dominii jure sibi liceret possidere, indicio satis firmo, ante hanc impetrationem debiliori dominio jure rem oppignoratam creditori devinctam fuisse. Obtenta facultate à Cæsare, ut rem dominii jure possidere liceret creditori, vel si hic ipse vi initæ cum debitore conventionis, ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia, jure emtoris possideat rem, justo pretio æstimandam, (qui casus est *in l.16. §.f. de pign.*) existente conditione pignoris dominium nactus fuerit, finiri causam pignoris & obligationem, mutato in aliud genus contractuum hoc negotio constat ex *l.24. de pign. act.* & rationis est, quod cum in re propria pignus vel hypothecam habere nemo possit, *l.45. de R.I.* nec creditor titulo emtionis aliovè dominii translativo pignoris proprietatem jam adeptus, illud sub diversa & huic suo jam acquisito juri planè contraria ratione possidere queat. Ex quo & porrò fluit, creditorem ita dominum effectum suo jure fructus quoscunque plenissimè suos

facere,

facere, arg. *l. 5. C. de R. V. l.* 20. *ff. eod.* remque acquisitam in alios pro lubitu transferendi illimitatam habere facultatem, arg. *l.* 21. *C. mandat.* translatamque à debitore nullo prætextu revocari posse. Lauterb. *in Coll. Th. pr. t. de pign. act.* §. 21.

An in Germania, ubi verba: Pfandschaft, Verpfändung, occurrunt, dominium in creditorem qua talem transeat? Affirmantium Opinio 1.

III. Hanc esse genuinam pignoris indolem juxta LL. Romanas ab Imp. Justiniano compilatas, facili negotio quilibet deprehendit; an verò in universum hæc sit pignoris natura, ut ejus dominium, salvo jure pignoris: in creditorem transire nequeat? & in specie, an in Imperio Rom. Germanico ubicunque verba: Pfandschafft, Verpfändung, Pfand-Schilling occurrunt, non dominium, sed simplex tantum pignoris jus constitutum intelligi soleat? in eo non conveniunt interpretes. Juri Rom. antiquiori, LL. sc. XII. Tabb. ejusmodi pignoris speciem, mediante quo dominium in creditorem per mancipationem ea lege transferebatur, ut soluta ad diem pecunia remanciparetur, non soluta sine ulla denunciatione vendi posset, non incognitam fuisse, ex locis apud Ciceronem, Paulum JCtum, aliosque plures extantibus, operosè deducere allaborat Celeb. Strauchius *in diss. de Oppign. Imperial. th. 3. seq.* quam sub fiduciæ nomine in dd. ll. occurrentem pignoris speciem, naturæ pignoris haud repugnare, ex eo, quod & hac ratione securitati creditoris, translato sc. in eum dominio, optimè prospiciatur, existimat *d. diss. th. 6.* Hujus fiduciæ cum vestigia quoque deprehendantur in C. Theod. *l. 9. de infirm. his, quæ sub tyrann.* (qui Codex jam sec. V. in Occidente sub Regibus Gothicis vim legis accepit, ususque ejusdem devictis licet & subactis à Francorum gente Gothicis populis semper remansit, non invalescente hac in parte, nisi post plurima secula Jure Justinianeo) non dubitat id. Author conjecturari, admissis LL. Theodosianis & Gothicis (in quibus fiduciæ nomen itidem occurrit, vid. LL. Longobard. *l. 3. de don. quæ sub thing. l. 2. de prob. alien. min.* Cujac. *ad Paul. sent. l. 2. t. 13. pr.*) à Carolo M. in Galliis & omni regno Francorum, eodem tempore & in regno Teutonico istas receptas esse, hocque modo apud Germanos si non nomen fiduciæ, tamen rem ipsam innotuisse. Quam opinionem suam plurimum roboris inde accipere putat, quod in Speculo Sax. *l. 2. art. 24.* habeatur, *unusquisque potest sua bona etiam jure amittere seu alienare, si ab eo obligentur.* conf. Spec. Suev. *c. 311.* Ex quo constare certissimè putat, & Jure Sax. Suevicoque dominium pignoris in creditorem transiisse, nec alium contractum quærendum esse,

quam Fiduciam, ubicunque mentio fit einiges Pfand-Schillings, Verpfändung, Pfandschafft. *d. diss. th. 34.*

Opinio 2. IV. Alii rem hanc non tam alte repetentes, consuetudini universali Germaniæ attribuunt eoque provocant, quando verba Verpfändung, Pfand-Schilling, Pfandschafft, Pfändung, Wiederkauff, Wider-Losung, hodie synonyma esse, alterumque pro altero sine discrimine poni statuunt, v. Zasius *Cons. 12. n. 11.* Mart. Uran. *T. 2. cons. 6. n. 3.* verèque juxta d. Germaniæ consuetudinem emtionem venditionem cum pacto de retrovendendo celebrari, si creditor fructus lucratur, existimat Wesemb. *p. 1. R. 2. n. 90. & 91.* Arum. *2. dec. 5. n. 79* cons. Bes. *Th. Pr. voc.* Pfand-Schilling, Wehn. *in O. pr. voc.* Pfandschafft; Dehinc per contractum pignoratitium in creditorem transferri utile dominium, eumque possessionem tam naturalem quam Civilem habere, non absurdè statui tradit Auth. der Lindauisch. Reichs-Pfandschafft, *fol. 26. f. 249. inf. & 250. pr.* vid. eund. *p. 344. inf.* Non minimam huic DD. sententiæ occasionem dedisse videtur, quod cum juxta LL. Justin. creditori jus percipiendi fructus haud competat, adeo, ut si easdem absque domini voluntate percipiat, furtum committat, *l. 54. pr. de furt.* perceptos autem in sortem imputare debeat, *l. 1. C. de distr. pign.* & licet ex pacto forte antichretico pignori adjecto creditor fructus percipiendi facultatem acceperit, tamen fructibus ultra legitimum usurarum modum perceptis, facta reductione, excessus in sortem computetur, Christ. ab Hagen *de usur. c. 11. n. 120.* Strauch. *d. l. th. 32.* Moribus autem Germaniæ in universum, oppignorationum, der Satzungen, Pfandschafften, diversam planè naturam esse cernerent, cum hic juxta consuetas formulas (quas vid. apud Strauch. *d. D. th. 33. & A.* der Lind. Reichs-Pfandsch. *p. 1.*) creditores plerumque irrevocabiliter fructus suos faciant, neque adigantur ad fructuum legitimum usurarum modum excedentium restitutionem, v. Uran. Wes. Bes. *d. l.* Limn. *ad cap. Car. V. art. 4. voce* Pfandschafften, *num. 18.* quod tamen aliâs fieri deberet, *l. 1. l. 2. C. de pign. act.* Inde factum, ut istis Germaniæ moribus oppignorationes in novam quandam contractuum speciem, non absimilem emtioni vendit. cum pacto de retrovendendo, transformatas plerique crediderint, autumantes, hac consuetudine legitimari perceptionem fructuum à creditore factam, cum non ut possessor pignoris antichresticus, sed ut rei pignoratæ verus, licet revocabilis, dominus eosdem suos faciat.

Frid.

Frid. Martin. *de jure censuum c. 1. n. 177.* Strauch. *c. l. th. 44.* add. Arumæ. *d. dec. n. 78.*

V. Verum enimvero utramque opinionem tanquam genuinæ pignorum naturæ moribusque Germaniæ parum conformem debitâ circumspectione tractandam esse, quis est, qui non videat; In re, cujus dominium nobis jam quæsitum est, quomodo pignus subesse possit, non liquet, v. *l. 45. de R. I.* Contrariantur sibi horum jurium qualitates, & absorbet domini causa pignoris rationem, si in uno eodemque subjecto concurrant, *l. 24. de pignor. action.* Et impropria valde locutione eos sibi placere existimaverim, qui pignoris nomine adhuc insigniunt rem, cujus dominium pro pecunia mutua in creditorem translatum, reservata licet debitori reluendi spe; potius autem hoc casu quemcunque alium contractum, modo negotio adaptari possit, quam pignus, celebratum esse crediderim. Hanc v. pignoris naturam ante tempora Justiniani in Rom. Imperio alteratam fuisse, perque contractum pignoris dominium quandoque transiisse ex eo, quod de fiducia, cujus apud Paulum, & reliquos cc. ll. mentio fit, adductum, probabile haud redditur. Id quidem verum est, per fiduciam, juxta Paulum *L. 2. sent. t. 13.* dominium pignoris statim in ipsa traditione, non demum vi Legis Commissoriæ, in creditorem translatum fuisse, v. Cujac. *ad d. l. Pauli*, an vero hæc fiducia per contractum pignoratitium fuerit celebrata, quod Strauch. *d. l. th. 6.* velle videtur, translatoque licet dominio veri tamen pignoris naturam retinuerit, adeò clarum non est. Fiduciam per mancipationem contractam esse testatur d. l. Pauli; mancipatio autem cum aliter, quam per emtionem vend. fieri non potuerit, *v. de mancipat. solennibus* Boët. *in Top. Cicer.* Brisson. *in sel. ex jur. Civil. antiq. l. 1. c. 7.* perspicere non possum, qui potuerit hoc loco per pignoris contractum dominii alienatio fieri? Imò cum res pro pecunia mutuo accepta creditori mancipata, dicatur, Strauch. *d. diss. th. 5.* & sic quodammodo vendita fuerit, sicque creditori ratione pecuniæ creditæ satisfactum, vix video, quomodo soluto jam debiti vinculo hæc fiducia pignoris loco apud eundem esse potuerit? Ut hinc credibile potius sit, ob reluendi facultatem, quandam pignoris speciem habuisse fiduciam, revera tamen pignus haud mansisse; uti in casu, quo fiducia contractui Commodati vel depositi accessit, statuit ex Boëtio P. Pithœus *ad tit. 10. Collat. LL. Mos. & Rom.*

Prior sententia in dubium vocatur.

Etsi vero daremus, olim fiducia contracta pignoris dominium in creditorem transiisse, eamque nihilominus naturam pignoris retinuisse, quis tamen crediderit, veteres Germanos, quos sua semper legum simplicitas commendavit, ultro se scrupulosæ mancipationum solennitati, ipsis etiam Romanis improbatæ, subjecisse: nunquam vero probari poterit, LL. istas Longobardicas & Cod. Theod. Germanis ita obtrusum fuisse, ut abdicatis patriis legibus, exteras has constitutiones unicè venerari debuerint, v. Conring *de Orig. l. Germ. c. 20.* Quanquam enim cognitæ eædem fuerint in Germania, aliquemque earum usum itidem fuisse, ex antiquis liceat monumentis deprehendere, in hoc tamen fiduciæ passu, cum nec nominis nec rei aliquod vestigium extet, agnitas, oppignorationesque ad earum normam institutas esse, nemo facilè dixerit; maximè, cum inter fiduciam istam & Oppignorationes Germanicas ea notabilis se differentia prodat, quod juxta Paulum *l. 2. sent. t. 13. §. 2.* in illa creditor fructus suos non faciat, sed sorti imputare debeat, in his vero plerumque jus percipiendi fructus plenariè in eundem transferatur. Malè vero ex *supra citt.* Speculi Sax. Suevicique textibus evinci crediderim, Romanorum fiduciam, ita usitatam Germanis fuisse, ut ad hujus exemplum & ipsi pignorum dominia in creditores transtulerint. Verum quidem est, *dd. ll.* sub alienationis verbo, quod in Germ. ibid. Versetzen redditur, comprehendi etiam, si bona à domino obligentur, sed notum etiam est, quam latè pateat alienationis vocabulum, alienat quoque, qui alteri jus in re sua constituit, sive oppignorando id fiat, sive servitutem imponendo. *l f. C. de reb. al. non alien.* præter jus enim in re, sed inferius dominio, nihil quicquam creditori constitutum fuisse per dd. jura Germanica, satis patescit ex Spec. Suev. *c. 244 & 248.*

Secunda quoque suspecta est;

VI. Quod alteram opinionem attinet existimantium, sensim Germaniæ moribus receptum esse, ut contractus pignorationis cum emtione vendit. pactum retrovenditionis annexum habente in effectu unum idemque sit negotium, verbaque Pfandschilling, Pfandschafft, Kauffschilling, pro synonymis habeantur, perque contractum pignoratitium in creditorem cum possessione Civili etiam utile dominium transeat, eam nobis pariter non una ratio suspectam reddit. Quanta enim hodienum inter hæc duo negotia supersit differentia, res ipsa testatur, satisque docent plerique Interpretes; quem enim fugit quæ sit nativa verborum Pfandschafft, Pfändung, Pfandschilling, efficacia, quæ eorum natura, quam diverso jure censeantur ab illis, scil.

Kauff,

Kauff, Widerkauff, Kauffschilling, quæ non nisi emtionem venditionem spirant; ut merito & hic, cum de istorum Contractuum ineundi modo, cognoscendaque eorum vi & qualitate disseritur, cujusque contractus verbis standum sit, *l. 60. ff. de Leg. 3. l. 125. de V. S.* talisque habendus, quem figura literarum ostendit, Decius *Cons. 305. n. 1.* proindeque ubi verba pignus significantia ejusque indolem exprimentia adhibentur, & hodie contractum pignoratitium à partibus initum, minimè vero emtionem vend. cum pacto de retrovendo celebratam esse, contra vero verba emtionem vend. denotantia, itidem hujus contractus inter partes gesti cæteris paribus indubitatos indices esse, certissimum est. Gail. *p. 3. cons. 15. n. 20.* jung. Consult. D. Stryk. *de Caut. contr. s. 2. c. 14. §. 27.*

Sæpè quidem accidit, ut Notariorum partiumvè incuriâ aut imperitâ pignoris contractui adjiciantur, verba emtioni vend. tantùm applicanda, es soll das Unterpfand auff eine gewise Zeit widerkäufflich seyn, & vicissim de emtione vend. sub retrovendendi lege celebrara prædicentur, quæ non nisi pignorationi, conveniunt, e. g. soll er das ihme widerkäufflich verschriebene und verkauffte Hauß nach erlangtem Pfandschilling restituiren. vid. Gail. *p. 2. Cons. 14. per tot.* Zas. *d. cons. 12. n. 11. l. i.* Wehner. *d. v.* Pfandschafften. Dn. Stryk. *c. l.* propterea tamen à verisimili partium intentione haud recedatur, sed potiùs omissis verbis, menti contrahentium aliquatenus adversis, respiciendum adprincipale, quod subest, & ex fine & effectu dignoscitur, negotium. arg. *l. 21. C. Locat. l. 3. C. plur. val. quod ag.* Arumæ. *c. 2. dec. 5. n. 74.* Non tamen exinde deduxeris, verba: Pfandschilling, Kauffschilling, Widerkauff, Widerlosung, idem planè significare; sicut enim *in d. l. 3. C. plur. val. quod ag.* ideò, quod sub verbis emtionis vend. revera pignus fuit contractum, nec horum contractuum natura immutata, nec fœda inde nominum confusio orta est, licet ex certissimis conjecturis leges verba, emtioni aliàs solennia, ad pignoris negotium traxerint; ita in genere tenendum, quod, si de primaria partium intentione contractuque quem inire voluerunt, constat ex certis indiciis clausulisque eidem annexis, nihil cæteroquin intersit, etsi aliis etiàm minus congruis formulis mentem suam explicaverint. Et hac ratione Germaniæ consuetudine (verius tn. etiam jx. LL Rom.) introductum suo modo dici potest, Pfandung, Pfandschilling, Widerkauff, ꝛc. synonyma esse, neque hactenus referre, qua ex his voce animi sui sensa contrahentes expresserint. vid. Excell. D.

Stryk.

Stryk. *d. ſ. 2. c. 4. §. 33. in f.* add. Arumæ. *d. l. num. 75. ſeqq.* Quo ſenſu ſi ſupra citati DD. iſtas voces æquipollere invicem ſtatuerint, facilè cum ipſis transactum erit; ſed vereor hanc iſtorum omnium eſſe ſententiam. Ii enim qui inter pactum de retrovendendo & contractum pignoratitium nullam agnoſcunt differentiam, perque hunc utile dominium Creditori acquiri ſtatuunt, v. Uran. & Auth. der Lindauiſch R. Pfandſchafft. *dd. ll.* etſi mentem contrahentium ex verbis conventionum dijudicare poſſent, promiſcuum tamen hunc verborum uſum in diverſis quoque negotiis ad eundem finem admittunt. v. Wehn. *cit. l.* Arum. *d. c. 5. n. 79.* Aſt quam diverſa ſit horum contractuum forma, quam diverſus finis & effectus jam ex ſupra traditis liquet. Vult. *conſ. vol. 3. c. 18. n. 1. ſeqq.* Gœdd. *conſ. 28. n. 228.* add. Dn. Stryk. *ſæpe cit. c. 4. §. 23. ſq.* & cumprimis *§. 31. ubi docet, quomodo hæc negotia ſint diſcernenda;* ut hinc ſumma omnimò confuſio ſit, ſi duo hæc omni jure diſtincta negotia miſceantur. v. Wehn. *d. l.* Procul etiam à vero abeſt, quod per pignorationem Civilis poſſeſſio & dominium utile in creditorem transferatur; quanquam enim communiter oppignorationibus addantur pacta de fructibus ita percipiendis, ut nec ſorti ſint imputandi, (id nimirum contrahentium libertati eſt relictum, nec de eſſentia oppignorationis in genere requiritur, cum dubio careat, easdem & hodie nuda conventione absque traditione juxta *l. 1. de pign. act.* vel cum traditione, ſed in creditoris tantùm ſecuritatem fieri absque poteſtate fructus percipiendi, nomenque, der Pfandſchafften, eapropter non amittere, Tabor. *de altero tanto p. 3. art. 11. num. 2.*) illa tamen fructuum percipiendorum facultas creditori conceſſa, inſimul & dominum in eundem translatum eſſe, haud arguere poteſt: Manet namque inconcuſſum juris axioma, pignoris dominium, ſalvo ſcil. pignoris jure, in creditorem non transferri, vid. *quæ ſupra all.* add. Gail. *p. 2. cons. 14. n. 3.* quodque idem fructus conſequatur, hoc non ex dominio, (id enim haud habet,) ſed ex conventione pignori adjecta proficiſcitur. B. D. Lauterb. *de jur. antichr. th. 38.* quæ nihil aliud, quam antichreſis eſt, frequentiſſima apud Germanos in pignorationibus, teſte Zaſio *L. 1. R. 12. n. 11.* Wehn. *d. v.* Pfandſchafften. & absque omni conſcientiæ ſcrupulo, obſtante licet Pontificia prohibitione in *c. 1. 2. & 8. t. de jure jur.* recepta paſſim & immemoriali Germaniæ conſuetudine approbata, Weſ. 1. *Cons. 8. n. 44.* Gail. *2. O. 3.* Tab. *d. p. 3. a. 11. n. 7.* Dn. Lauterb. *d. diſſ. th. 9.* Cujus negotii naturæ haud adverſatur, quod moribus Germaniæ creditor pleniſſime fructus

fructus acquirat, nihilque sorti imputet, eam enim illimitatam fruendi pignoris facultatem debitoris voluntate jam olim concedi potuisse, ex *L. 17. C. de usur. l. 11. §. 1. de pign.* vid. Christ. ab Hagen, *de usur. c. 11. n. 222.* Lauterb. *d. l. th. 32.* sine ulla usurariæ pravitatis macula, vid. Mev. *c. 4. disc. Lev. inop. debit. s. 11. num. 14.* si fructus cumprimis incerti admodùm sint, unanimis est DD. opinio. add. Berlich. *p. 2. dec. 170. n 25.* Tabor. *d. l. n. 11.* Ut dehinc aliud fundamentum, quod acquisitionem fructuum in creditore antichrestico sustineat, præter domini concedentis voluntatem effingere velle, & supervacuum sit & ipsi oppignorationis indoli contrarium, quæ sane non admittit, ut Civilis possessio vel dominium utile de istiusmodi creditore prædicetur, v. *l. 13. de usurp. & usuc. arg. l. 12. de. A. V. A. P.* qui aliter se non habet, quam ad instar usufructuarii pluribus id docente Spectatiss. Facult. Jurid. p. t. Decano Dn. D. Harpprecht. *Cons. 30. n. 60. seq.* add. Gail. *d. Cons. 15. p. 3. n. 20.* Cujus jus utilis dominii nomine indigitare velle, strictiori hujus nominis significatui haud convenit, vid. Lauterb. *Coll. Th. Pr. ad t. de usufr. th. 7. in. f.* Ex quibus & illud credo constare, rerum Imperii ab Imperatoribus quondam Statibus Imperii factas oppignorationes, non obstante earundem vi Capitulationum, pace quoque Westphal. *art. 5. t. 9.* corroboratarum, ab Impp. facta confirmatione, daß sie nehmlich sollen und wollen der Stände und Reichs-Ritterschafft ihre Regalia und Obrigkeiten, Freyheiten und Privilegien, Pfandschafften, confirmiren und bestättigen, sie auch dabey, als erwählter R. König handhaben, schützen und schirmen, vid. Cap. Leopold. *art. 3.* veras oppignorationes remanere, nec in dominium Creditorum transiisse; quanquam enim non subjaceant reluitioni intuitu Imperatoris, omnimodæ tamen reluitionis expertes haud sunt, cum Imperium sibi *in d. Instr. pacis art 5. §. 9.* potestatem reluendi, si ipsi placuerit, reservaverit, Schilter. *Inst. J. publ. t. 1. l. 2. t. 7. §. 3.* Secus erit dicendum de istis oppignorationibus, quæ à Statibus Imperii olim sibi invicem factæ reluitioni amplius haud subjacent, Stryk. *de Oblig. feud. cons. mun. c. 2. n. 19.* hæ enim amissa qualitate pignoribus aliàs competente, *l. 10. C. de pignor. act.* ipsum etiam pignoris nomen amittere, inque aliud transire videntur. v. Limnæum ad Capit. Car. V. *art. 4. v.* Pfandschafften, Titium *in Spec. J. publ. R. Germ. l. 2. c. 9. §. 2.*

Quid per particularem oppignorationem hîc loci indigitetur, utut ex eis, quæ sequuntur facile pateat, paucis tamen lubet præmisisse, Quid vocabulum particularis oppign. hic denoter.

sisse, non hic sermonem nobis esse de oppignoratione, qua feudi Regal. pars quotitativa, puta, tertia, quarta, dimidia. v. Jo. Paul Balzaran. *tr. de feud. ad t. 4. f. 1. vers. cum. autem;* Sed comparatione ad totum feudum Regale factâ, exigua, castrum, puta, oppidum, vel etiam præfectura creditori in debiti supponitur securitatem.

Diversa est Principum potestas circa alienationem & oppignorationem regnorum

VII. Non eam omnium in universum Principum circa regna potestatem esse, ut pro lubitu de iisdem disponere queant, nec tamen propterea in eam conditionem redactos esse omnes Imperantes, ut ad simplicium tantùm usufructuariorum instar redacti, nec totum regnum, nec partem ejusdem sine subditorum consensu vel alienando, vel oppignorando transferre valeant, jamdudum solidior evicit Jurisprudentia; diversum enim modum habendi imperia, utut non summitatem imperantium, ipsam tamen potestatem ex arbitrio disponendi de Imperio, mirum in modum vel laxare, vel restringere, ex ipso inæquali, quod inde oritur, jure, facilè dignoscitur. Grot. *de J. B. & P. l. 3. 14.* Ex quo est, quod regnum patrimonio Principis existens, uti ab hoc ad beneplacitum in totum vel pro parte alienari, sic & inconsulto populo oppignorari possit. Pufend. *de I. N. & G. VIII. 5. 1.* Ziegl. *de Jur. Maj. l. 1. c. 4. §. 25.* Ill. Dn. de Kulpis, *ad Grot. de. J. B. & P. Ex. 2. th. 9.* Stryk. *de Jure Pr. circa allod. c. 2. num. 3 seq.* Si vero ultroneo populi consensu in Principem fuerit translatum, ejusque potestas circa alienationem vel oppignorationem sub ipsa statim Imperii delatione limitata, quin ex sua promissione teneantur, summa pactorum religio, quæ & Principem cùm subditis contrahentem stringit, indubium reddit. Ferd. Vasq. *Ill. contr. l. 1. c. 3. n. 1.* Arnis. *de Jur. Majest. l. 3. c. 1. n. 10.* Spreng. *Jpr. publ. p. 388.* Excell. Dn D. Scheinemann, *in diss. de commerc. circa liber. homin. §. 34. sqq.* Nec liberiorem Princeps circa ejusmodi actus habebit potestatem, etsi nihil de istis pacto primordiali fuerit definitum, sua enim ratione nititur illa præsumtio, qua subditi transferendo imperium in certam familiam vel personam, ab ea potissimum non ab alia inviti regi voluisse creduntur. Hottom. *Ill. q. 1. p. 10.* Grot. *1. 4. 10.* ibiq: Bœcl. quam ipsam rationem non solùm omnimodæ translationi regni, sed & ejusd. oppignorationi totali & partiali obstare, ita ut invito populo invitaq; parte alienanda vel oppignoranda Princeps nihil omnino transferre possit, facile nobis persuadet Grot. *II. 6. 4.* Pufend. *d. tr. VIII. 5. 9. seq.* v. Bœcl. *ad d.* Grot. *l.* idemque non dubitamus afferere etiam de illa particulari alienatione vel oppignoratione, unde regnum non adeo

Patrimonialium & non patrimonialium

Hæc Princeps pro lubitu nec in totum nec pro parte alienare vel oppignorare potest.

notabilem

notabilem patitur imminutionem, cum & hic eadem prohibitionis ratio militet, qua singulis quoque ex determinata incertum subjectum imperii translatione jus est quæsitum. Vasq. *d. l. 1. c. 4. num. 3. & 9.* vid. tamen B. Dn. Osiand. *in Obs. ad d. l.* Grot. *II. 6. 4.*

VIII. Quod si porrò de ipso patrimonio populi, Regi, ad Regiæ dignitatis onera sustinenda, concesso quæratur, & hujus intuitu ligatas ipsi manus esse, ex nativa harum rerum conditione patescit; Domanialia enim bona cum jure dominii ad populum spectent, in iisque Princeps non nisi pro Usufructuario habeatur, Heig. *qu. 19. n. 2. sq.* Besold. *diss. de. ærar. publ. c. 7.* nequicquam ejus potestas ad alienationem eorundem sese extendet, sive deinde de re exigui pretii sive de re majoris momenti & æstimationis quæratur, utroque enim casu quoniam de rebus alienis disponitur, nec vilitas earundem legitimare poterit actum, contra alterius jura quæsita directum, Grot. *II. 6. 11.* Spectatiss. Dn. D. Harpprecht. *Cons. 57. num. 217. seqq.* Quocirca ejusmodi bona sine consensu subditorum alienata à successoribus optimo jure revocari posse, ad exemplum eorum, quæ restitutioni obnoxia à privatis distracta fuere, tradit Carpzov. *ad L. Reg. German. c. 7. sect. 1. n. 2. 3.* Conring. *de Fin. Imp. Germ. c. 19. p. 364.* Myler. *Nomol. c. 16. n. 2.* Nec aliter dicendum erit de bonis fiscalibus sive juribus, quæ Principis dignitati connexa adhærent, reservanda enim eadem sunt ad futuros Reip. usus, idque eò magis, quo iisdem diminutis facilius Imperii dissolutio secutura est, cit. DD. Clapmar. *de Arc. Rerump. t. 5. c. 12. & 13.* Arnisæus, *d. l. 3. de jur. Majest. c. 1. n. 15.*

Uti nec bona Domanialia.

Nec Fiscalia.

IX. Non tamen ex restricta hac Principis circa alienationem vel oppignorationem regni aut patrimonii ad populum spectantis potestate, summo ipsius imperio in cives nimium detractum, aut eum in miserrimam conditionem, occasione nimirum exercendæ liberalitatis sic eidem ademtæ, conjectum esse, quisquam colliget; summus etenim Princeps manet, ejusdemque actus, quibus ad bonum Reip. civium actiones attemperat, alterius potestati aut revocationi haud subjiciuntur, etsi pro lubitu de istis rebus disponendi facultatem non habeat, neque propterea beneficentiæ contestandæ materia plane deficit, Principes, aliunde enim satis habere solent, ut ex dignitate Regalis fastigii non de alieno, sed de proprio liberaliter, bene de se meritos, possint remunerari; dum vel ad privatorum instar amplissima interdum possident bona, quæ ex arbitrio suo in quemcunq; conferre valent, arg. eor. quæ disserit Ziegl. *de. J. Maj. l. 1. c. 4. §. 26.* Spreng. *in Jpr. Publ.*

Nihil tamen propterea summo eorundem decedit Imperio.

p. 339. Dn. D. Harppr. *d. C. 57. n. 218.* vel ex fructibus bonorum, ad augustam dignitatem tuendam ipsis tributorum, v. Pufend. *d. l. VIII. 5. 11.* sufficientem consequantur materiam, beneficos istiusmodi illibato populi patrimonio celebrandi actus. Vasq. *d. c. 4. n. 8.* Dn. Stryk. *d. diss. c. 2. n. 10. seqq.* ubi *in alia Principi ratione allodii porrò competentia jura inquirit.*

Quid obtineat in casu necessitatis vel utilitatis circa alienat. vel oppignorationem.

Hos intra cancellos imperantium potestatem circa alienationem vel oppignorationem redactam esse, ex universali jure facile deducitur, tumque cumprimis, si ejusmodi actus ex Regis potius bene placito, quàm necessitate vel utilitate Reip. id exigente suscipiatur, quamvis & diversum temporum usum passimq; receptas consuetudines petitæ huic ex naturalibus principiis ratiocinationi multum detraxisse diffitendum non sit. In eo plerique conveniunt DD. posse Principem, urgente id inevitabili necessitate, partem Imperii invitam licet, atque reluctantem cedere alii, tantoque magis oppignorare, ut hac ratione unius partis jactura reliquum unà aliàs periturum Reip. corpus salvum & incolume conservetur. Arnis. *c. l. n. 13. sq.* Cum enim non alio fine plures in unam societatem Civilem coire soleant, quam ut conjunctis viribus singulorum securitati prospiciatur; qui si alia ratione obtineri nequeat, permissum erit Principi, partem, quæ non nisi cum totius corporis interitu servari potest, abdicare suoque juri in illam renunciare, vel etiam eandem oppignorare. Puf. *d. l. n. 9.* Bœcl. cit. Ziegl. *ad Grot. II. 6. 8.* Vasq. *d. c. n. 4.* An vero eadem facilitate id asseri queat, si partis alienationem vel oppignorationem sola reliqui corporis utilitas suadeat, de eo non immerito dubitat Vasqu. & Grot. *l. cit.*

Regnorum.

Rerum ad populum pertinentium.

X. Longè alia ratio est rerum ad patrimonium populi spectantium, has enim Principem in alios etiam irrequisito populo transferre posse, si insignis vel necessitas vel utilitas Reip. translationem s. oppignorationem deposcat, ex summo, quo civium salutem, & securitatem procurat, imperio, indubium redditur. v. Heig. *q. 19. n. 7.* Besold. *de Ærario c. 7. d. 3.* Carpzov. *ad L. Reg. c. 8. s. 4. n. 9.* quamvis hic quoque ad Leges fundamentales, administrandæ Reip. formam modumque etiam isti bonorum dispensationi communiter præbentes, si respiciendum. Dn. Born. *diss. de eo, quod justum est circa destinat. c. 5. n. 8.*

Quid liceat circa Regna Feudalia?

XI. Quid verò in regnis feudalibus intuitu alienationis vel oppignorationis liceat & domino directo & Vasallo Principi, tum & cum sponte

ſponte ſuſcipitur eadem, tum cum neceſſitas eò impellit? haud inconcinne hic quæri poſſet; verum cum nexus iſte non ſolo Nat. jure regatur ſed potius juris Civ. ſit, eaque propter nec ex illo jure deciſio unicè petenda veniat, Conring. *de fin. Germ. Imp. c. 19. p. 365.* ſed conſiderari debeat, quid quaque in gente circa iſtos caſus receptum ſit? Grot. *II. 7. 21.* & requiri cumprimis, annon ſpecialia inveſtituræ pacta contractui feudali ſingulare aliquid adjecerint? quid in certis familiis & perſonis receptum? quæ ſingulorum locorum conſuetudines? Bœcl. *ad d. l. Gr.* nec negligendum ſit, quid Longobardorum legibus, ceu paſſim receptis, Limn. *ad Cap. Car. V. art. 24. n. 35.* Goth. Ant. *diſp. feud. 1. lit. m.* ſit definitum? hæc autem tractatio à noſtro ſcopo aliena ſit, idcirco eidem ſuperſedemus.

XII. Ad noſtrum potius Imperium Rom. Germ. nos convertentes paucis, quæ ſit Imperatoris circa alienationem & oppignorationem rerum Imperii, quæ cæterorum ſtatuum circa res ab ipſis poſſeſſas diſponendi facultas, delibabimus. Liberrimam olim de rebus Imperii diſponendi poteſtatem habuiſſe Imperatores Francicos atque Saxonicos, tot ab iis factæ donationes, oppignorationes, infeudationes aliæque innumeræ alienationes, quarum exempla proſtant, evidenter ſatis evincunt; ut recte Limnæum reprehendat Strauch. *d. diſſ. de Oppign. Imp. th. prapr. 29. & 30.* nec tot exemplis adduci ſe poſſe dicentem, ut crederet, licuiſſe olim Imperatoribus citra conſenſum ſeu electorum ſeu ſtatuum Imperii civitates & ditiones Imperii alienare vel oppignorare, proindeque perſuaſum, etſi nulla in Capitul. extaret alienationis prohibitio, nihil tamen Imperatorem alienare poſſe, propterea quod nonniſi ſimplicis adminiſtratoris vel tutoris munere in Rep. fungatur, vid. Limn. *ad Cap. Car. V. art. 9. voc.* in andere Weg veräuſſern, *n. 1. ſeqq.* Quod ſi enim ad primordia regni Germanici reſpiciamus, quatenus ſcil. illud in ſtirpem Carolinam devenit, deprehendimus, à Carolo M. maximam ejus partem vi bellica ſubactam in ejus ditionem conceſſiſſe, ſublatis prius, qui fuerant tum, potentiſſimis Ducatibus Ziegl. *de Jure Majeſt. l. 1. c. 28. §. 6.* devictosque hos Germaniæ populos priſtinæ tum libertatis jacturam feciſſe, Excell. Dn. Schwed. *Introd. I. P. part. gen. c. 4. §. 7.* ipſamque ditionum proprietatem in Victorem tranſiiſſe, Stryk. *d. diſſ. de J. Princ. c. allod. c. 3. n. 7. in f.* quas Ducibus & Comitibus adminiſtrandas poſtmodum concedebat. Ex quo eſt, quod Carolus M. jure ſuis armis quæſito utens variis ratio-

Quid liceat Imperatori circa res Imperii.

tionibus id patrimonium ſuum diſtraxerit, multa de eo feuda conceſſerit, plurimasque fecerit donationes haud requiſito populi vel primorum conſenſu, Strauch. *d. l. th. 20.* ut dehinc eundem adminiſtratoris tantum nomine Germanorum devictorum jura tractaſſe, haud ſit credibile, ſi quæ de patrimonialium regnorum indole ſupra adduximus, hic repetere velis.

XIII. Eundem in modum & hujus poſteri, quamdiu antiqua regiminis forma ſubſiſtebat, pleno ſibi jure vindicarunt regalia, nullaque lege circumſcripti reditus bonaque imperii liberaliter aliis donarunt, alioque modo alienarunt; qui utut in hoc reprehendantur, quod per nimiam diſtractionem bona imperii diminuerint, & ſubpreſſos quondam Ducatus non ſine inſigni Imp. detrimento erigi denuo permiſerint, v. Conring. *de Duc. & Com. Imp. §. 19.* ſuaque exceſſiva liberalitate, partim & incuria, quod late antea patuerat, Imperium, in fruſta ſcindi, & hac ratione planè perire paſſi fuerint, Ziegl. *c. loc.* In hoc tamen nemo eosdem jure accuſaverit, quod iſtiusmodi alienationes contra Imper. leges & jura ſuſceperint; quamdiu enim Carolina ſtirps ſuperſtes fuit, hæreditario maximè jure ſibi invicem ſuccedebant, Conr. *ad Lamp. p. 3. c. 2. §. 4.* D. Schwed. *d. tr. p. ſp. ſ. 1. c. 1. §. 18.* conſequenter & uniformem poteſtatem omnibus his ſucceſſoribus circa res Imp. competiiſſe ex jure ſucceſſionis evincitur, præſertim cum nulla antiquiora monumenta legesvè, de circumſcripta Impp. tum temporis alienandi poteſtate proſtent. Subſequentes quoque Impp. vi juris, quod in Imperio ipſis competebat, ejusmodi alienationum actus quamplurimos tamdiu exercuerunt, v. Strauch. *d. diſſ. th. 21.* donec creſcente Principum Imp. indies potentia hi partem adminiſtrandæ Reip. ſibi ſumerent, Imperatorumque authoritas nimium quantum decreſceret, ita ut his interdicta tandem alienatione & oppignoratione rerum Imperii, parum ex priſtino ſplendore reliquum fuerit. Quo tempore autem primitus hæc alienationis prohibitio à Statibus Imp. facta ſit, de eo non una eſt DD. ſententia. v. Conr. *de fin. Imp. c. 19. p. 376. ſeq.* & quæ reſpondet Strauch. *in d. diſſ. th. 22. ſeq.* nobis hic ex inſtituti noſtri ratione ſufficit paucis addidiſſe, jam à Caroli V. temporibus reliquos ferè Impp. omnes promiſiſſe, nihil ſe ex rebus Imp. quæ nimirum alicujus momenti eſſent, (aliud enim de rebus minoris pretii ſentiendum, recte ex verbis Capitul. auch confiſcirte merckliche Güter, deducitur, Itter. *de Feud. Imp. cap. 7. §. 19. in f.*)

ſine

ſine Electorum conſenſu alienaturos oppignoraturosvè. Quomodo autem hic electorum conſenſus jam interponendus, an reliqui Status Imp. concurrere debeant, quibus in caſibus alienationis conſentiendum ſit, de eo vid. præprimis Limnæus *ad d. Cap. Car. V. art. 9.* verb. verſchreiben, in andere Weg veräuſſern, Excellent. D. Schwed. *d. vſ. l. 1. c. l. 23. §. 11. ſeq.* Carpz. *ad L. Reg. c. 7. ſ. 1. n. 4. ſq.* Recte tamen ab hac prohibita rerum Imp. alienatione ſeparantur bona, quæ in pleno Imperatoris ſunt patrimonio, quæque non intuitu muneris ſeu, ſed uti quilibet alius privatus poſſidet, nihilque intereſt, ſive ex reditibus rerum Imp. ſive aliunde eadem acquiſita habeat; liberam enim utrinque eidem competere diſpoſitionem, niſi aliud impediat ipſa harum rerum natura inculcat, v. Strauch. *d. l. th. 17.*

XIV. Statuum circa alienationem & oppignorationem jura quod attinet, ea etiam dimetienda eſſe ex modo, quo territoria ſua poſſident, nemo non videt: Hæc enim ſi allodii jure teneant, quin pro lubitu de iisdem diſponere poſſint, dummodo id in Imperii detrimentum non vergat, ex iis patet, quæ ſupra de alienatione regnorum patrimonialium adduximus, neque hic vel Imperatoris vel ſubditorum conſenſum neceſſarium eſſe, *arg. art. 39. Cap. Leop. verſ.* ſo vom Lehenthum keine *Dependenz* haben, docet Rhetius *in jur. publ. l. 2. t. 32. §. 2.* Dn. Stryk. *diſſ. de J. Princ. c. allod. c. 5. n. 17. ſeq. hac in materia omninò videndus*, B. Parens Joh. Andr. Frommann, *de Condomin. territ. c. 9. §. 6.* niſi forte Statibus aliàs circa terras allodiales competens facultas conſuetudine vel pacto cum Ordinibus provincialibus inito aliquantum ſit reſtricta, ita ut nonniſi adhibito eorum conſenſu quicquam in alios transferre valeant, Schilt. *Inſt. J. Publ. t. 1. l. 2. t. 7. §. 1.* quamvis non ſtatim ex eo, quod alicubi Status provinciales adhiberi conſueverunt, tanta mox authoritas eis tribuenda, ut eorundem voluntas pro norma actionum à Principe ſuſcipiendarum haberi debeat, v. Pacif. à Lap. *in Monzamb. diſc. 3. n. 7.* majore enim alibi, alibi minore pollent authoritate, ſæpiusque eum magis in finem adhibentur, ut de gravioribus negotiis deliberent, quam ut de iisdem ceu ſuperioritatis participes ſtatuant, Limn. *T. 1. L. 1. c. 10. n. 1.* Illuſtr. Dn. à Seckendorff. *p. 2. c. 4. §. 4.* des Teutſchen Fürſt. Staats. Et licita erit hujusmodi allodialis territorii alienatio & oppignoratio, etiamſi alii territorio, quod omnis alienationis expers eſt, fuerit unitum, nihilominus enim ſua

Status Imperii poſſunt alienare vel oppignorare ſua territoria, ſi ſint allodialia.

jura

jura ſalva retinet, Thoming. *dec.41.per tot.* Mev. *p.2. dec.185. num.2.* liberæque domini diſpenſationi manet ſuppoſitum. Idem eſt, etſi non integrum territorium, ſed caſtrum, civitas vel præfectura, in Ducatu, licet feudali comprehenſa, allodiali jure poſſideatur, hæc enim omnia, uti etiam aliæ res pleno dominii jure ipſis ſubjectæ, illimitatæ Statuum Imp. diſpoſitioni ſubſunt. Stryk. *d.l. c. 4.*

Quid liceat ipſis ſi ſint feudalia? ubi reſpiciendum ad mores conſuetudines & Jura feudalia.

XV. Sed vero cum pleræque Germ. Imp. provinciæ non allodii jure cenſeantur, ſed feudi nexu, cum dignitate, ſi quam habent, Regali ab Imperatori & Imperio dependeant, Reinking. *de R. S. & E. l.1. cl.4. c.19. n.41.* Itter. *de feud. Imp. c.3.* §.8. abſolutam circa earundem alienationem licentiam poſſeſſoribus non eſſe tribuendam, ipſum, quod intercedit, vinculum ſatis innuit, cum enim multum interſit, quem vaſallum habeat Imp. & Imperium, cavendumque ſedulò, ne directum, quod in re feudali ipſi competit, dominium, aut juſtiſſima etiam ſuccedendi ſpes Agnatis jam à primùm acquirentis perſona quæſita intervertatur, neutiquam permittendum erat, ut ab unius poſſidentis Vaſalli arbitrio penderet de talibus bonis diſponendi facultas. Quare quid inibi juris habeat Vaſallus, id utique non ex ejus, quantacunque licet dignitate conſpicui voluntate, ſed ex uſu potius, conſuetudine & diſpoſitione juris feudalis æſtimandum erit. Brunn. *Conſ.1. n.30.* Ziegl. *de J. Maj. l.1. c.4.* §.27. quod Jus Feudale & ſi Vaſallorum in hoc puncto libertatem intra ſtrictiſſimos plerumque cancellos coanguſtaverit, adeò tamen haud circumſcripſit, ut nullo plane in caſu ſive in totum ſive pro parte, deficiente Domini & Agnatorum conſenſu, feuda transferre in alium ipſis liceret. Quid vero circa oppignorationem feudorum Regalem dignitatem annexam habentium Vaſallis permiſſum ſit, non adeò liquet; plerumque enim in hoc articulo opponuntur ſibi invicem Longobard. feudalia jura conſuetudinesque eisdem contrariæ alibi receptæ. Id quod ipſum cum in noſtra etiam Germania; ubi DD. de permiſſa feudorum oppignoratione vel alienatione agunt, evenire ſoleat, ſæpiusque recentiori conſuetudini adſcribatur, quod tamen ipſis Longobardorum Legibus conforme eſt, vel pro noviore Germaniæ conſuetudine venditetur, quod tamen non interrupto uſu ſemper in eadem obtinuit, nec Longobardorum LL. unquam fuit abrogatum: proinde cum nobis animus ſit inquirere in Vaſallorum cum Regali dignitate feuda poſſidentium circa particularem eorundam oppignorationem jura, Doctorumque opiniones de hoc themate

mate inter se conferre, non alienum à nostro proposito erit, ut distincta isthæc jura distinctè tractemus, priusquam, quid Germanorum moribus in hoc casu introductum sit, dicamus, paucis Longobardica jura indicasse.

XVI. Diversissimas olim tam circa alienationem, quam oppignorationem feudorum in Curiis feudalibus obtinuisse consuetudines, plures in jure feudali occurrentes textus satis manifestum reddunt; Licebat enim antiquissimis temporibus inconsulto etiam domino uti totum feudum alienare, ita sine dubio quoque oppignorare *2.f.44.* sine discrimine s. regale s. non regale illud fuerit: quæ facultas ita deinde temperata est, ut ultra medietatem nec alienare *1.f.13.* nec oppignorare *1.f.5.* permitteretur, nec id tamen pro lubitu, sed famis cumprimis aut alia quadam necessitate urgente, *2.f.9.* Tandem vero cum sub hac permissionis specie multa in Dominos dolosè machinarentur Vasalli, feuda in pignus Creditoribus concedendo, simulque etiam facultatem iisdem fruendi largiendo (quod frequentissimè factum ex *2.f.8.in fin.* non malè auguratur Hottomannus) non sine insigni Imper. damno carentes beneficiis eorumque fructibus debita servitia subterfugiebant, minusque idonei reddebantur, qui in expeditionibus aliisque necessitatibus domino adessent; inde Lotharii II. *2.f.52.* & Friderici I. *2.f.55.* constitutionibus non solum omnis alienatio, sed & oppignoratio absque domini consensu prohibita penitus atque interdicta fuit; quas leges, ceu generaliter conceptas de oppignoratione feudi partiali æque ac totali, nec tantum de pignore sub L. Commiss. aut aliàs fraudulenter constituti, sed de omni planè intelligendas esse contra gloss. rectè advertit Zasius *in Us.feud.p.9. num.6.* easque correctorias fuisse juris, quod in *2.f.9. 2.f.38.* alibique occurrit, bene annotavit Gothofr. *ad d 2 f.55.* Atque hæc communis ferè omnium feudistarum est opinio. Jac. de Belviso, *ad t.1. f.13. vers. si clientul. §. & quæritur.* Bitsch. *ad t.2.f.55.n.1. not.4.*

Quid olim jure consuetudinario Longobardico circa oppignor. permissum fuerit.

Ab Imperat. Lothar. II. & Friderico I. omnis penitus oppignor. prohibita.

Ex qua generali alienationis & oppignorationis rei feudalis prohibitione & id communiter deducunt, quod nec ob urgentem necessitatem Vasallus quicquam de feudo oppignorare possit vel distrahere inconsulto Domino; quod licet mirabile visum fuerit Zasio *d.l.num.13.* in eandem tamen sententiam & ipse concessit, secutus Bald. *in t.2.f.9.* & Alvarot. Curt. Jun. *part.4. quæst.16. num.107.* cum quo faciunt plures, quos Schrader. *p.8. c.1. n.21.* Struv. *S. I. F. c.13.*

Etiam in casu necessitatis.

c. 13. aph. 1. n. 2. allegant, quibus pro ratione est, quod, cùm feudum sub tacita conditione, ne sine consensu domini alienetur, in Vasallum fuerit translatum, hancque legem suæ rei dominus jure dicere potuerit, *l. 10. C. de pact.* neutiquam attendenda sit illa necessitas Vasalli, ut propterea eidem contra conventa in domini præjudicium alienandi facultas concedi debeat, cum hujus dominium nullo modo attenuandum sit aut debilitandum, Brunn. *Cons. 1. n. 247.* quod obtinere dicunt, etiamsi interveniat Judicis authoritas, Rol. à Valle, *Cons. 56. n. 14. sqq. Vol. 4.* & in hoc limitari debere illud, quod de necessitatis efficacia ex *c. 2. de obs. jejun. l. 1. C. de patr. qui fil. distrax.* doceri solet; idemque de quacunque necessaria causa habendum, sive avertendi bellici periculi sive ob famem vel æs alienum oppignoratio vel alienatio fiat, ob *d. t. 2. f. 9.* concludere DD. refert Rosenth. *de feud. c. 9. concl. 3. n. 7. & concl. 15. n. 8. sq.* Quo tamen in casu si Dominus desuper rogatus absque justa causa consensum impertire, vel ipse etiam feudum emere recuset, tunc eundem vel per superiorem, si quem habet, ad interponendum consensum adigi, vel Vasallum licitè feudum suum alienare posse, ex æquitate statuendum dicit Rol. à Valle, *d. l.* Wesenbec. *Cons. 66. num. 28.* Arum. *disp. feud. 7. th. 12.*

Consensu Domini ad oppignon adhibito, privatur ipso jure Vasallus.

XVII. Neglecto autem domini consensu, si Vasallus scienter ad feudi alienationem vel oppignorationem processerit, idque creditori tradiderit, eum, ob contemtum domini *2. f. 24. inf.* feudo privari, idque ipso jure ad dominum volentem redire, apertissimi text. *2. f. 52. & 2. f. 55.* testantur, add. Curt. jun. *part. 1. p. m. 278. n. 20.* ita ut non nisi sententia declaratoria opus sit ad avocandam istius possessionem, Zas. *d. l. p. 10. n. 73.* Struv. *c. 13. aph. 10. n. 1.* Eamque ob neglectum domini consensum privationis pœnam in quolibet feudo locum habere ex generalitate text. recte asserit Rosenthal. *d. tr. c. 10. concl. 5. n. 1.* sic tamen, ut ob rei minimæ ex feudo oppignorationem, vel ut Baldus ejusque sectatores loquuntur, ob unius cespitis alienationem vel oppignorationem non toto statim feudo sit privandus; meritò enim generalitas *tx. 2. f. 55.* temperanda erit ex *2. f. 38.* ubi propter partis alienationem non toto feudo, sed parte tantum illicitè alienata Vasallum excidere dicitur, Zas. *d. l. n. 1. & 2.* Schrad. *p. 9. c. 1. n. 55.* Vultej. *de feud. c. 11. num. 40. in f.* & suadet hanc interpretationem ipsa æquitas, quæ pœnam delicto admensurandam esse inculcat *l. 22. C. de pœn.* add. Rosenth. *d. tr. c. 9. m. 1. concl. 1. n. 1. sq.*

XVIII.

XVIII. Sed quid si retenta possessione simplicem tantùm hypothecam in feudo constituerit Vasallus, an eadem quoque privationis pœna ipsùm manebit? Sanè si hæc quæstio ex *l. f. C. de reb. al. non al.* definienda foret, sine dubio etiam simplicis hypothecæ constitutionem eundem sequi effectum statuendum esset, cum Lauden. *ad c. un. in pr. n. 11. de proh. feud. al.* Hottom. *Cons. 30. n. 8.* Vultej. *1. feud. 10. n. 43.* Verum cum sic Vasallus non denudetur beneficio suo, nihilque in creditorem transferatur, sed remaneat in possessione feudi, consequenter de servitiis feudalibus nihil decedat domino, neque etiam metus subsit, Vasallum idcircò ea subterfugiturum, propterea ob cessantem legis in *2. f. 52.* actionem ejus quoque constitutionem hic cessare debere necessum est; ut enim injuria domino facta dicatur, illam effectum habuisse oportet, quod possessione nondum translata factum haud censetur. *arg. d. 2. f. 55.* ibi: *in alios transferunt.* Quamvis autem ob simplicis hypothecæ constitutionem feudo non excidat Vasallus, ipsa tamen hypothecæ obligatio nulla est & effectu destituitur. *d. t. 2. f. 55.* Rosenth. *d. c. 9. concl. 14. n. 1.* Struv. *d. c. 13. aph. 7. n. 1.* solet enim per eandem ad ipsius rei distractionem perveniri, quæ cum omni modo prohibita sit, prohibitum & illud erit, per quod ad eandem pervenitur. *v. 2. f. 8. §. ult.* ut proin in præjudicium domini non consentientis illa subsistere nequeat. Vult. *d. l.* Wesenb. *Cons. 11. n. 5.* Quæ hactenus de prohibita oppignoratione ejusdemque neglectum sequente privatione dicta sunt, in feudis propriis communemque naturam habentibus potissimum obtinere, nemo dubitabit. In aliis enim, de quibus liberior disponendi facultas Vasallo competit, plus etiam eidem ratione oppignorationis licere, facile patet: Unde si cui feudum pro se & heredibus quibuscunque, auff Söhn und Töchter, dero Erb- und Erbnehmen, concessum fuerit, (quale feudum merè hæreditarium DD. dicunt, v. Knichen. *de vestit. pact. p. 1. c. 10.* Dn. Stryk. *Ex. I. F. c. 4. q. 45.* Wurmbser. *de feud. impropr. cl. 3. s. 5. n. 3.*) id, cùm allodialibus rebus tam ratione successionis, quam alienationis comparetur, Clarus §. *feudum, q. 9. n. 2. & q. 83. q. 42. num. 2.* Gail. *2. Obs. 154. num. 13. seqq.* Vasallus non solùm illud cedere, oppignorare, vendere, *2. f. 48.* sed & de eodem tum inter vivos tum in ultimo elogio pro lubitu suo disponere poterit, Chassan. *in Consuet. Burg. Rub. 3. §. 5. n. 7.* Quocirca si tale feudum hypothecæ suppositum fuerit, adeò valet ejusdem obligatio, ut etiam soluto Vasalli jure hoc onus ratum maneat, atque

Secus est, si simplicem tantum hypothecam constituerit,

Vel si liberior circa feudum disponendi facultas ei competat; ut si feudum sit hereditarium,

atque ab herede ejusdem, vel domino, si ad eum revertatur, agnoscendum veniat; imò si Vasallus æs alienum, cujus occasione feudum pignori dedit, non exsolvat, poterit Creditor etiam ab ordinario Judice impetrare, ut ipsi hanc rem hypothecatam dominii jure possidere liceat, eodem sc. modo quo penes Vasallum fuit, arg. eorum quæ disserit Rosenth. *c. 9. m. 1. c. 16. n 14. seq.* Molin. *Cons. 3. n. 3.* Neque hic agnatis jus erit, feudum ita translatum à Creditore vel alio unquam revocandi, defunctique facto contraveniendi, Hartm. Pistor. *p. 1. lib. 2. q. 14.* Gail. *d. Obs. 154. num. 12. seq.* Bocer. *de qual. & diff. feud. c. 5. n. 48. & 50.* Qui idem effectus etiam aliis formulis, sub quibus concessio feudi fieri solet, ut si in investitura dictum fuerit, quod feudum allodii naturam habere debeat, quod in quemcunque alienari possit. *arg. 2. f. 26. §. feuda. & 48.* &c. adscribendus est, omnibus enim istis modis feudum hereditarium merè tale constituitur, Gail. *d. l. n. ult.* Struv. *d. c. 4. §. 13.* An autem si dominus simpliciter feudum concesserit, cum pacto de alienando, id quoque naturam hereditarii habeat, de eo merito dubitat Rosenth. *c. 9. m. 1. concl. 40.*

vel si proximiori Agnato oppignoratio facta,

XIX. Quod si porrò Vasallus proximiori Agnato, qui spem succedendi in feudo habeat, sine domini consensu partem vel totum oppignoraverit, subsistere id pignus, nec propterea dominum rem tanquam ex felonia ad se reversam vindicare posse, ex eo liquet, quod eidem liceat totum feudum agnato refutare, etiam sine domini voluntate *2. f. 38.* quæ refutatio cum nihil aliud sit, quam alienatio, per quam & possessio & dominium utile in eum, cui refutatur, transit, *2. f. 38.* licebit ei quoque id oppignorare, cum minus hoc sit, nihilque domino præjudicet, cum ita pignus transferatur in eum, qui ex ejus voluntate alias erat successurus. Mynsing. *cent. 6. Obs. 23. n. 4.* Bocer. *de amiss. feud. c. 2. n. 102. & 135.* qui supra citati textus cum *2. f. 52. & 55.* correcti non sint, vim suam adhuc obtinebunt, per *l. 32. in f. C. de appellat.* add. Camerar. *in repet. ad. t. 2. f. 55. p. 229.*

vel coheredi feudali.

Idem erit dicendum, si coheredi feudali Vasallus feudum oppignoraverit, uti enim huic per divisionem partes inæquales sine domini consensu assignari possunt, imò uti Dominus invitos Vasallos cogere non potest, ut partem feudi retineant, sed admittere tenetur, ut uni totum feudum cedatur, *2. f. 26. §. omnes filii*, Zas. *p. 9. num. 30.* Schrad. *p. 8. c. 2. n. 30.* Köpp. *dec. 54. num. 34 sq.* ita quoque eundem oppignorationem inter ejusmodi Convasallos factam ratam habere debere,

debere, paritatis ratio ſuadet, quod etiam in feudo Regali ſtatuendum videtur, etſi enim in hoc per *t. 2. f. 55.* diviſio haud admittatur, tamen uti conventione coheredum & hoc feudum uni aſſignari poteſt, ita & in re adhuc communi pignus conſtitui poſſe ex præcedentibus fluere videtur. Roſenthal. *c. 9. concl. 56. num. 4. ibique citati.*

XX. Præterea cum Vaſallus inſcio quoque & inconſulto domino feudum ſuum vel ejus partem alii per ſubinfeudationem poſſit concedere, *2. f. 3. §. 1. 2. f. 26. §. beneficium* dummodo obſerventur ea, quæ hic jura feudalia exigunt, v. *2. f. 34. §. ſimiliter. 2. f. 55. §. callidis* Struv. *S. I. F. c. 12. aph. 11.* nihil obſtare exiſtimamus, quo minus Vaſallus debitor creditori ſuo bona feudalia in ſubfeudum ſub qualitate pignoris concedere poſſit, etiam conſenſu domini non accedente; generaliter enim Vaſallo conceſſa eſt ſubinfeudandi facultas, dum idin idoneum fiat, & ſub iisdem conditionibus, quibus ipſe feudum tenuit, quo obſervato nulla hic ulterius ſubfeudum pignoratitium impediens ratio ſubeſſe videtur: Manet enim & hic Vaſallus ſubinfeudans ratione ſervitiorum obligatus domino, cui hoc modo nihil quicquam decedit, cum & ipſum ſubvaſallum ad ſervitia obſtrictum habeat, & intermiſſis neglectisque iis feudo ſuo nihilominus poſſit incumbere. Hartm. Piſtor. *4. q. 44. n. 2.* Frantzk. *de Laudem. c. 14. n. 32. ſeq.* Gothofred. *in not. ad l. 1. f. 4. §. 6.* Nec quicquam enim huic ſubinfeudationi contrariatur, quod ita ſub colore inveſtituræ in fraudem legis *2. f. 55.* revera pignus conſtitui videatur; nihil enim hic agitur, quod in iſtius conſtitutionis fraudem tendat, quæ prohibet, ne ſub ficta infeudatione reapſe omnimoda celebretur alienatio, ſubfeudum autem non conſtituatur. Struv. *c. 12. aph. 11. n. 1.* neve ita Vaſallus fraudulenter in alium transferendo jus ſuum, obligatione, qua domino tenebatur, ſemet eximat, ſicque Dominus ſimul & Vaſallum & feudum perdat: Retinet quippe Vaſallus ſubinfeudans utile ſuum Dominium, nec liberatur ea, qua Domino ſervire tenetur, neceſſitate, ipſumque ſubfeudum nullatenus alteratur, nec in ullo fere ab ordinaria feudorum natura diſcedit, quam quod ad Vaſalli ſubinfeudantis placitum ſoluto debito revocari poſſit. conf. Struv. *S. I. F. c. 4. aph. 14.* Conſtat inde, quam diverſa ſit pignoris ſimplicis conſtitutio ab hac infeudatione, qua ſub qualitate pignoris creditori ſubfeudum conceditur; ibi Creditor nec Vaſallo oppignoranti nec Domino ad quicquam obligatur, invitoque Vaſallo & Domino

vel ſi Subfeudum pignoratitium conſtituatur.

mino ad distractionem quoque pignoris procedere potest, quod ne eveniret, meritò ejusmodi oppignoratio fuit prohibita: hîc verò omnia secus se habent, nec enim id Creditor subvasallus juxta communem feudorum indolem distrahere, Dominoque inconsulto in alium transferre potest, cum ejus facultas ex concedentis jure normam accipiat nulloque modo aliquod hic Domini præjudicium subsit; ut proinde prohibitam *in 2. f. 55.* pignoris constitutionem ad hoc subfeudum trahere velle, rationi Legis haud convenire videatur. Et licet occasione pecuniæ creditæ inque ejus securitatem hæc subinfeudatio fiat, nec propterea tamen Vasallus alicujus calliditatis aut fraudis accusari, ipsumque hoc subfeudum destrui potest; quemadmodum enim non obst. *d. 2. f. 55. 2. f. 3.* per emtionem vendit. bona fide celebratam Vasallo permissum est alteri subfeudum constituere, neque is ob pretium, quod hac ratione consequitur, in fraudis suspicionem incurrit, cum ita salvum omnino Domini jus conservetur, ejusque nihil intersit, quo titulo alius subfeudum accipiat, Andr. Kohl. *tr. de subfeud. c. 2. num. 54.* Struv. *cap. 12. aph. 11. num. 7.* vid. Besold. *Cons. 108. num. 13. seq.* ita vel maximè permittendum erit Vasallo, ut sub qualitate pignoris alteri subfeudum concedat, cum nullum hic pretium intercedat, cum quo subfeudum quasi commutetur, salva enim manet Creditori sors, nihilque debitori ob hanc infeudationem persolvitur, quod pretii locum sustinere posset, sed sola voluntas Vasalli occasione pecuniæ creditæ mota, ad creditorem securiorem reddendum unica hujus concessionis causa est, sic ut ipsi illibatum maneat Dominium utile eidemque omne subvasalli jus subordinetur.

An oppignorationes hæ sine consensu Domini licitè factæ præjudicent Agnatis vel Domino?

XXI. Hi ferè sunt modi, quibus etiam inconsulto Domino facta oppignoratio feudi ex usu consuetudinum feudalium Longobard. subsistit, absque ullo amissionis periculo. Diversa nunc quæstio est, quousque eadem Agnatis præjudicare possit? De filiis enim non attinet dicere, cum ex persona patris in feudo succedentes, tanquam hæredes in allodio *2. f. 45.* merito parentis sui oppignorantis factum ratum habere debeant, *1. f. 18.* quibus idcircò etiam nullibi facultas vel irritandi vel revocandi talem oppignorationem conceditur. Kirchberg. *de feud. ex pact. & provid. c. 5. n. 67. seq.* Richter. *dec. 79. n. 4. & 7.* Struv. *J. F. c. 13. aph. 16. n. 6.* Agnatorum verò cum alia ratio esse soleat, deducentium jus suum plerumque non ex ultimi decedentis persona, sed potius ex pacto primi acquirentis & providentia feudali, eorum quoque spes per talem oppignorationem ipsis insciis

& in specie an in feudo hæreditario?

factam

factam æquè facilè interverti haud poteſt. Separanda autem hic ſunt feuda, quæ jure allodii quaſi poſſidentur, merè nimirum hæreditaria, ab oppoſita ſpecie: v. *th. 18. in fin.* In iis cum Agnati non niſi hæreditario jure ſuccedant, Wurmbſ. *de feud. impropr. cl. 3. ſ. 5. n. 98. ſq.* non poterit Agnatus ſuccedens tanquam hæres in irritum deducere, quod ab anteceſſore juſte riteque & ſecundum Legum diſpoſitionem, liberrimam de talibus feudis ordinationem Vaſallis permittentium, ſuſceptum eſt, idque ſine diſcrimine, ſ. cum agnatorum conſenſu, ſ. absque eodem tale feudum oppignoratum fuerit. In cæteris autem feudis, quæ pleno Vaſalli arbitrio haud ita ſubjecta ſunt, etſi oppignorationem ſine Domini præſcitu factam caducitatis pœna non inſequatur, adeò tamen firma ea vix eſt, ut in agnatorum quoque non conſentientium præjudicium perpetuò ſit valitura, v. Vultej. *l. 1. c. 10. n. 8.* unde ſi remotiori Agnato feudum fuerit oppignoratum, delata proximiori poſt mortem Vaſalli oppignorantis ejusque liberorum ſucceſſione, liberè hic Agnatus revocabit feudum, nec ad exſolvendum æs alienum, in cujus ſecuritatem res pignori data, tenebitur, namque & hic obtinet tritiſſimum illud: reſoluto dantis jure reſolvi jus accipientis. v. *2. f. 26. §. Titius.* Hartm. Piſtor. *2. q. 6. n. 20.*

an etiam in reliquis?

Pariter ſi Vaſallus Creditori ſub pignoris qualitate ſubfeudum conſtituerit, devoluta ad Agnatos ſucceſſione, ii, ſi in hanc ſubinfeudationem non conſenſerunt omni modo præferentur huic ſubvaſallo, arg. *1. f. 4. §. ult. §. 5.* nec ad quidquam ei tenebuntur, reſolutum enim cum ſit prioris Vaſalli jus, cui unicè Creditoris innitebatur, non poteſt non & hujus evaneſcere: adeò quidem, ut nec Dominus tale ſubfeudum Creditori huic in Agnatorum præjudicium conſervare poſſit. *2. f. 39.* Roſenthal. *c. 9. concl. 48. add. ad. l. a.* Bocer. *de amiſſ. feud. c. 2. n. 94.* in quibus tamen caſibus non negligendam eſſe putamus diſtinctionem inter feudum novum & antiquum, ita ut in hoc non teneatur Agnatus Succeſſor ſtare facto defuncti, bene tamen regulariter in illo, v. Hartm. Piſtor. *l. 2. qu. 4.*

Feudo Reg. e. g. finita linea ad Dominum redeunte non extinguitur oppignoratio facta in feudo hæreditario;

XXII. Sed quid ſi iſtiusmodi feuda licitè oppignorata vel ex delicto Vaſalli vel quod familia ſit finita, redeant ad dominum directum, expirabitne ipſum pignoris jus, dominusque liberum recipiet, quod olim dederat feudum? De feudo hæreditario dubium non eſt, teneri, dominum ad id onus ſubeundum; cum enim in ipſa hujus feudi conſtitutione Vaſallo liberam alienandi vel oppignorandi poteſtatem dederit, inſecuto deinde pignoris nexu & ipſe dominus obliga-

bene tamen in Subfeudo oppignoratio.

ligabitur valide, etsi ad ipsum pignorationis actum speciali novoque consensu haud concurrerit, Rosenth. *l. 9. concl. 40. num. 3.* Dn. Stryk. *de oblig. feud. Cons. mun. c. 3. n. 19 sq.* Struv. *S. I. F. c. 14. aph. 2. n. 5.* Aliud v. de subfeudo, sub pignoris qualitate in Creditorem translato, statuendum putamus, id enim cum ab aliis subfeudis regulariter haud differat, non poterit dominus invitus cogi, ut redeunte quacunque occasione ad se feudo sub Vasallum hunc retineat, *1. f. 4. §. ult.* vid. Wesenb. *cons. 73. n. 56.* Hartm. Pistor. *2. q. 44. n. 10.* Struv. *c. 12. aph. 13. n. 4.* nec ipse etiam Creditor adversus Dominum tali subinfeudationi cum pignoris vinculo non consentientem aliquod jus prætendere valebit.

Moribus bene introduci potest, ut valeat oppignoratio sine consensu Domini.

XXIII. Ex his itaque patet, quam necessarius sit in oppignoratione feudi de Longobardorum moribus domini consensus; patet simul etiam ex recensitis quibusdam exemplis, ubi pignus sine Domini voluntate in feudo constitutum sustineri docuimus, haud quaquam de essentiali feudorum forma aut immutabili atque universali eorum natura esse, ut ad oppignorationem, siquidem valere debeat, Domini consensus expressus semper accedat, sed subsistere quandoque pignus, ignorante licet Domino in feudo constitutum. Unde sua sponte sequitur, nec Longobardicis istis Legibus tam firmam perpetuoque duraturam vim & authoritatem tribuendam esse, quæ non alia noviori consuetudine immutari, & sic diversa in hoc puncto feudorum indoles efformari queat; quod si ergò consuetudo alicubi introducta deprehendatur, qua Vasallo sine Domini consensu feudum suum transferre in alium vel oppignorare concedatur, hanc sibi optimè constare, in tantum, ut (juxta DD. loquendi morem) habeat vim & effectum decreti, contractus, veritatis, privilegii, tituli, justitiæ ipsis textibus feudalibus derogantem, nemo inficias ibit, perpendens, quod æque ac Lex legem, ita consuetudo consuetudinem tollere possit. v. DD. *ad l. 2. C. quæ sit long. consu.* Surd. *cons. 395. n. 1.* Rosenthal. *c. 9. m. 1. concl. 58. n. 42. seqq.* ubi varias passim receptas atque à Longobardorum sanctionibus discedentes consuetudines recenset.

An Feuda Regal. Imper. German. ex Jure feudali Longobardico judicanda? Affirm.

XXIV. Sed quid nunc de feudis Imp. Regalibus dicendum? eruntne ista ad formam hujus Longobard. juris exigenda? an vero de istorum indole ex diversis Germanorumque genti propriis institutis judicandum? Quod si ad initia feudorum German. Regalium respiciamus, jam antiquissimis temporibus, crescente paulatim Principum Comi-

Comitumque potestate, provincias tandem suas non administratorio Magistratus nomine amplius, Ziegler. *de Jur. Majest. l. 1. c. 28. §. 6.* sed excellentiori longè superioritatis jure tenentium, eadem orta esse, dudum jam ex monumentis historiarum demonstravere alii, vid. Vultej. *de feud. l. 1. c. 1. n. 14.* Struv. *S. I. F. c. 1. aph. 4. num. 4. & 5.* Myler ab Ehrenbach. *Archolog. Princ. c. 9. §. 1.* Eratque hoc labantis tum Reip. Germanicæ, authoritatisque Imperatoriæ unicum remedium, ut, cum eximentium semet ab Imperii obsequio Principum Comitumque conatus infringi aliter nequirent, beneficiario saltem nexu isti in officio continerentur, sicque omnimoda Germanici corporis dissolutio averteretur. *cit. AA.* & Strauch. *de Oppign. Imp. th. 21.* Ziegler. *supr. c. l. §. 7.* Stryk. *de Jur. Pr. circa allod. c. 3. num. 13. seqq.* (quanquam aliunde præterea occasionem constituendis feudis Regalibus subnatam esse negari haud possit, v. Conring. *de Duc. & Com. Imp. th. 22.*) Introductis hisce feudis Regalibus tum circa eorundem constitutionem, tum transmissionem atque amissionem, peculiaria etiam jura in Germania viguisse, quibus eadem regerentur, feudalia Saxoniæ, Sueviæ, aliarumque regionum instituta satis evincunt. Struv. *c. 1. aph. 5.* Itter. *de feud. Imp. c. 2. §. 1.* Cæterum cum translato jam à sec. XV. usu consuetudinum feudalium Longobard. in Germaniam, harum authoritas adeò excreverit, ut pro communi jure in causis feudalibus, Imperio receptæ, tacitoque consensu approbatæ, imò tantum non expresse confirmatæ fuerint, v. Struv. *d. c. 1. aph. 7. n. 4.* Maurit. *de libr. jur. comm. th. 22.* certè & hæc feuda regalia litibus obortis ex isto jure sua expectare debere fata, non sine ratione plerumque adstruitur, hoc tamen cum temperamento, nisi vel publicis imperii constitutionibus aut moribus recentioribus correctum iterum sublatumque, vel etiam certis in casibus, in quibus veteres semper consuetudines sanctè Germani custodierunt, nunquam receptum fuerit. v. Rhet. *in proœm. comment. I. F. p. 21.* Itter. *d. tr. c. 2. §. 7. & 8.*

nisi publ. Imp. constitut. aut moribus aliud constitut.

XXIV. Hoc igitur posito, quod feuda Imp. regalia ex jure Longobard. dijudicanda regulariter veniant, ad nostrum propositum nunc respicientes paucis inquirimus, an potestas oppignorandi res particulares ex feudis Imp. Regalibus subjacuerit unquam dispositioni jurium feudalium Longob. numque adhuc hodiè eidem subjaceat? Si efficaciam prohibitionis factæ in textu *2. f. 52. 2. f. 55.* ex authoritate LLatorum metiri velimus, dicendum omninò erit, & Germanos dd. juribus adstrictos & ad eorum observantiam obligatos fuisse; Lotha-

rius enim II. & Fridericus I. Impp. cernentes, ex nimia non solùm divisione, sed & oppignoratione feudorum Regalium multum Imperii dignitati decedere, justissimè has omnes diminutiones inhibuere non modò in Italiâ, sed & ipsa Germania, *arg. eorum quæ tradit* Conring *de Duc. & Com. Imp. th.29.* ut hinc credibile sit, has constitutiones, imprimis illam Friderici, in Germania tum temporis invaluisse, & ex præcipientis Majestate robur accepisse; quas etiam Germani eò lubentius observasse videntur, quo jam antiquioribus moribus apud eosdem facultas per oppignorationem de feudis disponendi valde limitata fuit, v. Spec. Suev. *p.2.c.54. & 58. §.1.* Nec dubitandum est, receptis postmodum in Germania consuetudinibus Longob. etiam istis Impp. constitutionibus, *ad A. B. c.20.* novum quasi robur, quoad totius cumprimis feudi Regalis oppignorationem, additum fuisse; Ex quo est, quod DD. de prohibita alienatione vel oppignoratione talium feudorum agentes ad has ipsas constitutiones & consuetudines provocare soleant. Ziegler. *de J. Maj. l.1.c.§.22.* v. Itter. *d. tr.c.23.§.2.* Verum enim vero cum immuneras jam olim & nostris etiam temporibus factas inveniamus oppignorationes rerum particularium, (puta Castri, oppidi, præfecturæ, quæ in comparatione ad totum feudum exiguam partem constituunt,) ex universo feudo, nec tamen Imperatoris consensum requisitum fuisse, anne easdem omnes juribus in Germania receptis contrarias invalidasque pronunciemus, & si quæ in posterum suscipientur, ad istorum jurium regulam conformandas credamus? De eo dubium subesse non puto, quod si feudum Imp. regale simul & merè hæreditarium fuerit (exempla v. ap. Itter. *d.tr.c.23.§.9.* Schilter. *Inst. J. Publ. t.1.l.2.t.7.§.1.*) id sine consensu totum vel pro parte oppignorari posse, dummodo in Imperii præjudicium non fiat; fluit enim hoc ex ipsa talium feudorum, de qua *th.18.* nonnulla diximus, natura; nec dubitamus idem quoque de subinfeudatione in re particulari ex feudis Imp. regalibus creditori facta asserere, ut scil. tantisper, donec debitum exsolutum fuerit, pignoris quasi jure subfeudum possideat, idque convenienter iis, quæ in tx. *2.f.9.2.f.26. §. beneficium.* traduntur, quibus juribus non reperitur quicquam in publicis Imp. constitutionibus derogatum fuisse, potius tot prostantia subinfeudationum exempla de viridi earundem in Imperio nostro observantia satis testantur, Reinking. *de R. S. & E. l.1.cl.4.c.16. n.55.* Limn. *T.1. add.l.3.c.9.p.362.* Itter. *d.l.c.22.§.3.& 4.* Quas subin-

Quomodo igitur tot oppignorationes in Imp. factæ legitimari poterunt?

Si feudum hereditarium fuerit, sustinetur ejus oppignoratio jure feudali communi, ut & subfeudum pignoratitium.

ſubinfeudationes proprie jure ſubfeudi æſtimari non poſſe, nec tales conceſſiones vi Dominii utilis, ſed potius ex ſublimiori quodam jure feudorum in Imperio regalium poſſeſſoribus competente, & ſub quodam fiduciæ nexu hodie fieri, ut ſtatuamus, nullam neceſſitatem aut rationem ſufficientem videmus, utut moribus naturam ſubfeudorum multum alteratam eſſe, negari nequeat, v. Dn. Rhetz. *in comment. ad I. F. l. 1. t. 1. l. 77. ſeq.*

Porrò quod ſupra de permiſſa oppignoratione Agnatis, licet remotioribus, facta, arg. licitæ omnimodæ refutationis in favorem Agnati, *2. f. 39. 2. f. 38.* adſtruximus, idem etiam in feudis Imp. regalibus procedere eò minus ambigendum, quò manifeſtius conſtat, ipſam feudi regalis refutationem, ſine conſenſu Imperatoris ſuſceptam inter licitos modos transferendi feuda etiam hodie connumerari, dum intempeſtiva aut fraudulenta haud fuerit, arg. *c. 14. A. B.* v. Rümel. *diſſ. 4. p. 2. ad A. B. th. 24. ſeq. ibiq.* Myler. & quos allegat Itter. *d. c. 22. §. 9.* In feudis quoque regalibus indiviſis oppignorationem rerum particularium, inſcio Imperatore uni ex coheredibus factam, ſubſiſtere facilè patet, cum non ſolum ceſſio & aſſignatio uni horum facta ex uſu Longobard. juris admittatur, conf. Roſenth. *c. 9. concl. 56. n. 4. & ſupra th. 19.* ſed & tot exempla Juris primogenituræ in Germania paſſim recepti proſtent, quibus Imperatoris vel etiam reliquorum ſtatuum conſenſum ſemper acceſſiſſe, vix crediderim; *v. quæ de conſenſu Imp. ad conſtituendum Jus primogenituræ haud neceſſario tradit* Roſenth. *c. l.* Weſenb. *Conſ. 15. l. 1.* quanquam alii DD. contrarium ferè tueantur, v. Reinking. *d. cl. 4. c. 17. n. 73.* Myler. *in add. ad Rümelin. p. 3. diſſ. 5. theſ. 8. l. c.* add. Itter. *de F. Imp. c. 10. §. 11.* quid quod cum in plurimis Imper. familiis notiſſime in eo à jure feudali ſit receſſum, ut etiam majorum feudorum diviſio ſine Imper. conſenſu poſſit inſtitui, v. Gail. *l. 2. Obſ. 157.* Vultej. *V. 3. Conſ. Marpurg. 35. n. 245.* Knipſch. *de fideic. fam. c. 6. n. 326. & n. 295. add.* B. Parentis *diſſ. de Condom. territ. c. 10. §. 8.* nihil obſtare videtur, quo minus tali coheredi ex rebus communibus particularis oppignoratio inconſulto Imperatore fieri poſſit.

item oppignor. remotiori Agnato facta.

ut & illa, quæ coheredi in feudo Regali fit.

XXV. In his igitur caſibus oppignorationem totius feudi Regalis, vel partis, multò magis rei particularis ex feudo regali etiam ſine conſenſu Imperatoris ſubſiſtere, nec propterea oppignorantem feudo privari poſſe, ex dd. conſtare puto. Sed cum Vaſalli Imperii

aliàs etiam pro lubitu res particulares ex feudis suis Regalibus oppignorasse deprehendantur, id ne ceu LL. Longob. adversum, injustum irritumque judicabimus? aut si ritè id factum dicemus, quonam titulo defendemus? Veriorem sanè illorum opinionem existimaverim, qui tales oppignorationes etsi Longob. moribus non adeò conformes, legitimè tamen & olim factas & adhuc fieri censent. Rationem hujus asserti inde haud petendam crediderim, quasi Regalia feuda tenentes ipsi quidem universitatis intuitu sint Domini utiles, quantum vero ad castra, oppida aliasque res particulares attinet, directum quoque & proin plenum dominium habeant, ita ut ex plenitudine potestatis moderari easdem, aliisque possint concedere, uti communiter statuunt Feudistæ, Alexand. *Cons. 1. n. 21.* Rosenthal. *c. 9. concl. 32. n. 10.* Molin. *ad consuet. paris. §. 1. gl. 6. n. 6.* cit. à Frantzk. *de Laudem. c. 14. n. 3. seq.* hanc enim doctrinam suspectam admodum esse jurique feudali haud convenire meritò censuit ipse Frantzk *d. l. n. 39.* ut dehinc istam DD. distinctionem à Germaniæ JCtis non nisi ad casum, ubi de Vasalli subinfeudantis jure in feudo regali intuitu subinfeudati disquiritur, plerumque adhiberi videas. Hartm. Pistor. *l. 2. q. 45. p. 1. n. 13.* Wesenb. *cons. 30. n. 13. p. 1.*

Extra hos casus oppignorationes part. in Imperio quoque permissæ. Non ex eo quod Vasalli Illustres ipsius quidem universitatis utile, rerum vero particular. directum habeant dominium.

XXVI. Neque particulares has oppignorationes ex feudis Imp. ideo permissas judicaverim, quod si non omnia (uti Monzambanum statuisse plerique sine fundamento statuunt) pleraque tamen eorundem oblata esse credantur à nonnullis, v. Stryk. *de jur. Pr. circa allod. c. 3. n. 48. seqq.* Itter. *c. 1. §. 12.* qualibus in feudis ob pristinam dominii memoriam Vasallorum conditionem liberiorem esse, mitiusque eosdem tractari, vulgò DD. docent, Wurmbser. *de feud. impr. cl. 3. s. 8. n. 7. seq.* Etsi enim feudum oblatum â communi feudorum natura in hoc soleat recedere, quod non, uti aliàs quidem regulariter feuda constitui solent, ex libera Domini concedentis gratia & benevolentia, sed ex promisso potiùs ipsi Vasallo in prævia alienatione facto feudum concedatur, quodque non tam Dominus, quàm Vasallus offerens feudi constituendi naturam soleat determinare, Wurmbs. *d. s. 8. n. 6.* Dn. Stryk. *Ex. I. F. c. 4. qu. 17.* Dn. Thomas. *diss. de Feud. Oblat. c. 1. §. 61.* in cæteris tamen eandem cum aliis feudis indolem retinet, cum ea nullo Juris textu alterata deprehendatur, & propterea à plerisque inter propria feuda recenseatur, Struv. *c. 7. aph. 10. n. 10.* Dn. Rhetz. *in comm. ad I. F. l. 1. t. 1. p. 49.*

Nec ex eo quod pleraque feuda Imperii sint feuda oblata.

n. 41. Stryk. *d. l.* Quare nec majori hic quoad oppignorationem potestate gaudebit Vasallus, quam in alio quocunque regulari; nec enim, uti putat Wesenb. & cum eo Besold. *Th. pr. voc.* auffgetragen Lehen, eum in finem res allodialis in Dominum transfertur, ut jus clientelæ & protectionis tantum in Vasallum habeat, sed ipsum rei dominium eidem offertur, quod deinde offerenti rursus in feudum concedit, eidemque & insimul communem feudorum naturam imprimit, Schrad. *p. 2. c. 3. n. 63.* Et recte ex analogia juris feudalis profligatur illa præsumptio, qua credunt, offerentem quam minimam voluisse servitutem oblato feudo imponere, justeque ordinarium in his feudis rigorem ex eo mitigari, quod in his tanta adversus Dominum ingratitudo committi nequeat, quanta in iis solet esse, ubi beneficium ab ipso Domino proficiscitur: Annon enim præsumendum potius, Vasallum offerentem, si levioribus conditionibus feudum â Domino in posterum voluisset possidere, in ipsa translatione aliam suæ rei legem fuisse dicturum: quod dum omisit, satis de cætero gnarus juris in feudis usitati, sponte in id consensisse videtur, quod communiter in feudis secundum ordinariam eorum naturam obtinere solet. v. Dn. Rhetz. *in I. F. cit. loc.* Thomas. *de feud. obl. c. 1. n. 64. seq.*

Nec ex eo, uti quidam volunt, quod feuda Imper. omnia sint hereditaria.

XXVII. Si omnia feuda Imp. majora pro merè hereditariis liceret venditare, uti facere videtur Gœdd. *Cons. Marp. 16. num. 25.* Pruckmann. *apud Stuckium Cons. 26. n. 316.* cont. Itter. *de Feud. Imp. c. 3. num. 19.* Aut si verum esset, quod ista verè feudalia amplius non sint, sed conditionem allodialium acceperint, quam sententiam fovent Textor. *de rat. stat. Germ. c. 2 p. 21.* aliique ab Ittero, *d. l. c. 2. p. 66. allegati*, satis constaret de ratione juris oppignorationem rerum particularium, ex feudis Imp. Regalibus concedentis; sed neque hæc opinio calculum meretur. Licet enim non negemus, multa in Imperio feuda reperiri, quæ ad merè hæreditariorum instar possideantur, vid. *supr. thes. 24.* generalem tamen & indefinitam exinde conclusionem formare volentibus ipsa rei evidentia repugnat. Eyben, *in El. feud. VII. 4. p. 119.* B. Dn. Bardili, *in diss. de jure disp. de feud. per ult. vol. th. 29.* adeò ut nec in dubio tale feudum, quippe ab ordinaria feudorum natura degenerans, præsumendum sit. Gail. *2. Obs. 149. num. 10.* Schultz. *Syn. feud. c. 3. n. 103.* Tantum vero abest, ut feuda Imp. majora naturam rerum allodialium recepisse, solida hactenus ratione probatum sit, ut potius ipsum, quod inter

inter ſtatus & Imperium adhuc firmum intercedit vinculum, & qui inde reſultant, non niſi feudo convenientes, effectus, & ipſam illam ſententiam & concluſionem exinde petitam nobis quoque tacentibus ſatis confutent. conf. Dn. Stryk. *de jur. Pr. circa allod. c. 3. n. 48.* Itter. *d. tr. c. 23. §. 4.*

Uti nec exinde quod hodie Principes e. g. Vaſalli Imper. habent ſuperioritatem territorialem.

XXVIII. Sed cum tantâ hodiè poſſeſſores Regalium Imp. feudorum eminentiâ, dignitate atque poteſtate conſpicui deprehendantur, ut juxta vulgatiſſimum Doctorum Jur. Publici effatum tantum in ſuis territoriis poſſint, quantum Imperator in Imperio, Reink. *de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 6. n. 5.* imò cum non incongruè major ipſis circa territoria ſua poteſtas tribuatur, quam Imperatori in Imperio, tenentibus videlicet ea cum ſummo quaſi jure & ſuprema poteſtate territoriali, ejusque vi liberum Regiæque majeſtati æmulum in ſubditos ſuos imperium exercentibus, v. Myler. *in Archolog. p. 1. c. 14. n. 11.* Exc. Dn. Schweder, *P. ſpec. I. Publ. ſ. 2. c. 10. n. 3. ſeq.* Cæſar. Fürſten. *de ſupremat. jur. c. 10.* annon jus oppignorandi res particulares ex tali feudo adſcribemus huic ipſi eminenti in ſubditos & territorium poteſtati, de cujus ſplendore & liberiore exercitio multum decedere videtur, ſi toties, quoties ob acceptam mutuam pecuniam creditori in caſtro aliaque feudi particula pignus conſtituere volunt, Imperatoris conſenſum expetere coguntur. Verùm etſi facile ſummam iſtam poteſtatem illuſtribus Imperii Vaſallis reſpectu ſubditorum ſuorum concedamus, & ipſimet credamus, Principes v. g. Imp. vi eminentiſſimi juris ſui omnia expedire poſſe, quæ Majeſtati aliàs conveniunt v. Inſtr. Pacis Weſtph. *art. 8. §. 1. & 2.* Cap. Leop. *art. 3. in f.* Ziegl. *de J. Maj. l. 1. c. 3. n. 22.* experientia etiam id abunde teſtante; Attamen cum ipſum territorium non niſi feudali nexu ab Imp. & Imperio teneant, ad cujus inveſtituram ſuo tempore renovandam, Limn. *l. 4. J. Publ. c. 7.* præſtandum deſuper juramentum fidelitatis, quin etiam ad ſervitia feudalia decentemque honorem Imperatori exhibendum ſunt obſtricti, Knichen. *de non prov. Sax. jur. c. 1. n. 18. ſeq.* Dn. à Seckendorff. im Teutſchen Fürſten-Staat. *p. 2. c. 2. num. 1. & 2.* hoc ſanè feudalitium vinculum, etſi ipſam Vaſallis his eminentioribus competentem ſuperioritatem ejusque adminiſtrationem non limitet, alienationem tamen territorii in feudum conceſſi omnibus modis impedire, nemo non videt, v. Stryk. *d. diſſ. c. 5. n. 4. ſeq.* Uti enim diverſa ſunt ſummum in Rep. imperium, illudque habendi plenitudo,

Grot.

Grot. *I. 3. 14.* ita quoque Vasallus Imperii possideat licet regale feudum cum liberrima administrandi gubernandique licentia, ea propter tamen plenum de feudo disponendi arbitrium non statim consequitur, limitatus enim habendi modus non potest non eundem producere effectum. v. Ex. Dn. D. Scheinem. *in d. diss. de commerc. circ. lib. hom. th. 39.* Quare non incongruè, quod supra de prohibita Principi alienatione rerum ad populum pertinentium diximus, add. Mev. *in Nucle. Juris N. & G. Insp. 5. §. 30. n. 1.* hic ad Vasallum cum summa etiam, regioque fastigio simillima dignitate, feudum possidentem applicari posse videtur, ut nimirum dicamus neque hunc vi summæ, quam habet in feudo suo, Jurisdictionis, inconsulto Imperatore, pro lubitu partem ex tali feudo oppignorare posse; idque eò clarius evadit, quò manifestior est prohibitio, etiam sub amissionis pœna, isthæc feuda oppignorandi, in sæpe alleg. text. *2. f. 52. & 55.* Nec multum proderit, si justitiam hujus oppignorationis, quæ vi superioritatis territorialis fieri posse creditur, ex quantitate rei pignoratæ deducere velis; quæ enim ratio est, cur magis res particularis sine consensu Imp. ex feudo Regali oppignorari queat, quam pars ejusdem tertia, quarta vel dimidia? quod tamen inconsulto Imperatore fieri non posse, unanimis ferè omnium est sententia; num credibile est, supremam hanc potestatem territorialem ratione quantitatis oppignorandæ limites habere, diversoque modo circa eandem efficaciam suam exserere? Quod si verò putes, in particularis rei ex feudo oppignoratione non tantum subesse Imp. præjudicium, quantum metuendum, ubi pars quota, sive tertia, sive quarta pignori detur, proindeque facilius illam ex d. superioritatis jure fluere credas, quam alteram, ne sic quidem multum proficies; Nonne enim per multas oppignorationes particulares eò tandem devenietur, ut si conjungas easdem, pars quota territorii pignori videatur obnoxia, sicque & hac ratione insigne Imp. istis actibus non consentienti damnum inferatur? Ex ipsa verò modicitate rei ad ejusdem permissam oppignorationem in alterius præjudicium concludere velle, nimis debile argumentum videtur. Grot. *II. 6. 11.* Ut proin non obstante suprema hac Vasallorum in suis feudis potestate, actus alienationis vel oppignorationis citra voluntatem & consensum conferentis susceptus & revocationi & pœnæ subjacere dicendus foret.

XXIX.

Sed deducitur Jus hoc oppignorandi vel ex literis investituræ, vel Privilegio, concesso Vasallo

XXIX. Unde igitur tandem particularis hujus oppignorationis licentiam & firmitatem deducemus? Si de laxiore Vasallis Illustribus de feudis suis disponendi concessa facultate ex ipsis literis investituræ constat, ejus legalitatem non alibi, quam in ipsa horum feudorum natura speciali pacto informata quærendam esse, patet ex iis, quæ supra de feudis hereditariis tradimus, Itter. *d. c. 22. §. 9.* quod si itidem privilegium, liberam tum alienandi tum oppignorandi res particulares ex talibus feudis potestatem indulgens, exhiberi possit, (qualia plurima Imperatores olim dedisse variis exemplis docemur: v. Limn. *T. 1. A. V. 7. n. 139.* ubi de privilegio domui Brandenburgicæ concesso hæc habet: Das Hauß Brandenb. hat ein Privilegium von Kayser Friderico Anno 1473. erhalten, daß die Chur- und Fürsten dieses Haus eine freye Hand haben sollen, von ihren Lehen, Schlössern und Städten zu disponiren, und solches einander zu übergeben, v. Itter, *c. l.*) horum actuum justitiam satis jam exinde probatam credimus: quod si præterea gentilitia pacta prostent, Imperatoria authoritate confirmata, quæ Agnato Vasallo regale feudum possidenti liberum concedant oppignorandi alienandivè arbitrium, nec si quidem necessarium erit, ut istiusmodi oppignorationum licentiam aliunde demonstremus, vid. Struv. *S. I. F. c. 14. aph. 29. n. 1.* ibi: Fürstl. Erb-Verträge vorhanden, krafft deren ein jeder Regierender Fürst ohne Consens der Fürstl. Herrn Agnaten, seine Herrschafft und Güter alieniren, versetzen und verpfänden kan, ꝛc.

vel pactis gentilitiis ab Imper. confirmatis,

vel ex consuetudine Germaniæ universali,

His vero fontibus non existentibus facultas oppignorandi res particulares ex feudis Imp. majoribus haud aliunde securius deduci poterit, quam ex consuetudine & observantia quadam Imperii, qua e. g. Electores, Principes aliique majora feuda possidentes sæpissimè creditoribus suis in pecuniæ mutuo acceptæ securitatem certos districtus, castra, oppida, pignori dederunt, ad quorum oppignorationem etsi Imperatoris consensum non adhibuerint, propterea tamen nec ipsa obligatio infirma atque invalida declarata, nec ipsi etiam pignoris vinculum in rebus feudalibus constituentes juris sui amissione multati. Hanc consuetudinem, ceu feudorum essentiæ non contrariam, bene introduci potuisse, elucescit haud obscurè ex iis, quæ de consuetudine à juribus feudalibus Longobard. recedente supra disseruimus; Introductam vero eandem esse ex eo maxime probatur, quod istiusmodi oppignorationes particulares non tantum

tantum ab immemoriali jam tempore à Vasallis Imp. majoribus haud inscio Imperatore frequenter celebratæ, sed & contradictorio judicio firmatæ, nec ob imperialis consensus defectum revocatæ unquam fuerint; Et testantur de eadem omnes omninò, qui professa opera hoc argumentum pertractarunt, cumpr. Zasius *de feud. p. 9. n. 22.* Curt. Jun. *cons. 58. n. 8.* Gylmann. *T. 4. symph. p. 1. vot. 3. n. 90. T. V. relat. 13. n. 34. seq. Auth.* Cons. Marpurg. *35. n. 116.* Dn. ab Andler, *lit. 1. Jur. Publ. & priv. t. 10. p. 5. n. 16.* ita, ut absurdum credat Michael *Resp. 14. p. 30.* si quis de recepta hac & per omnem Germaniam usitata consuetudine res particulares alienandi & oppignorandi dubitare velit; & sine discrimine sive ex causa necessaria sive voluntaria initium capiat oppignoratio, ex uniformi hoc usu pœnam jurium feudalium locum non habere idem tradit *d. R. 14.* quam ipsam consuetudinem cum & alii adductis innumeris authoritatibus abunde probent, v. Struv. *J. F. 14. aph. 29. num. 5. ibiq; alleg. cons. Frantzkii*, Ziegler. *de J. Majest. l. 1. c. 4. § 28.* Itter. *c. 23. §. 2. seq.* Dn. Stryk. *in diss. de obl. feud. cons. mun. c. 2. n. 10. sqq.* meritò nos ulteriori earundem repetitioni supersedemus.

XXX. Huic consuetudini crescentem indies Principum aliorumque Vasallorum eminentiori dignitate conspicuorum authoritatem & potentiam occasionem dedisse, haud improbabilis est conjectura; Cum enim territoriis suis cum suprema quadam potestate præesse, subditosque regio velut jure gubernare cœpissent, eosdem quoque majorem circa ipsas provincias suas disponendi licentiam paulatim affectasse, quis est, qui non facilè credat? *v. Frantzk. c. l.* Dn. Stryk. *c. l. n. 13.* Multumque hanc liberiorem Principum de rebus feudalibus dispositionem promovisse videtur, quæ jam diu ante Fridericum I. inter Status Imp. invaluerat belli gerendi potestas; cum enim ad componendas istas statuum contentiones, pacemque redimendam necessaria sæpius esset vel partis feudalis alienatio vel oppignoratio, accidit, ut quod ante penitus erat prohibitum, tandem inevitabili quasi necessitate exigente concessum videretur. Cujus necessitatis prætextu cum variæ deinceps illicitæ feudorum alienationes & oppignorationes susciperentur, jam olim Lotharius II. pace per totum Imperium constituta (de qua vid. quæ habet Excell. Dn. Joh. Phil. Datt, *intr. de pac. publ. l. 1. c. 3. n 40.*) & post ipsum saluberrimo consilio Imp. Fridericus I. sancitis memorabilibus constitutionibus de pace tenenda ejusque violatoribus *2. f. 27.* & de

Quæ fuerit occasio consuetudinis hujus introducendæ?

pace tenenda inter ſubditos *2. f. 53.* (quarum per magnam in Germania utilitatem & authoritatem fuiſſe ex Conrad. Urſpergenſi refert Conring. *de O. I. Germ. c. 25. pr.*) ipſam diſſidiorum materiam extirpare conati ſunt, inſimulque Imperialis faſtigii conſervandi cauſa omnem penitus alienationem & oppignorationem interdixere *in tx. 2. f. 52. & 55.* Inſequentibus autem temporibus cum nihilominus bella domeſtica non ceſſarent in Germania, dubitandum haud eſt, illuſtres Imp. Vaſallos denuo ſub eadem neceſſitatis ſpecie ſine Impp. conſenſu de feudis ſuis partem alienandi vel oppignorandi licentiam ſibi ſumſiſſe, qua ipſa eo liberius uſi videntur quo per conſtitutiones Imperii publicas, effectus bello ſolennis diffidationibus tum temporis uſitatis tributus erat, vid. Aur. Bull. Car. IV. *c. 17. v. incendia*, Kayſers Friderici III. Reform. Francof. d. Ao. 1442. §. v. Wer in offenen Fehden: Excell. Dn. Datt, *d. l. 1. c. 15. n. 3. ſeqq.* Michael. *Reſp. 14. p. 138. ſeq.* Durantibus vero iſtis turbis motibusque Germaniæ Civilibus usque ad Maximiliani I. conſtitutionem de pace publica Wormatiæ Ao. 1495. erecta, conſuetudinem hanc, quæ tam altas radices egerat, & quæ urgentiſſimæ neceſſitatis intuitu ſolum primitus ſuſcipiebatur, poſtea quoque cum vel inſignis utilitas vel ſingularis ſtatus ratio oppignorationem ſuadebat, ad hanc tanquam omni jure permiſſam extenſam fuiſſe, valde probabile eſt, v. Heinr. Michael, *d. Reſp. 14. p. 138. ſeq.* Evecta vero ad illam eminentiam, qua hodie Regalium in Imperio feudorum poſſeſſores excellunt, ſuperioritate, dubium non eſt, eosdem de rebus particularibus feudi pro lubitu diſponendi facultatem ſibimet arrogaſſe, eandemque tanto citius increbuiſſe, quanto minus præjudicium per tales alienationes vel oppignorationes Imperio inferri videbatur, quantoque facilius erat quodam neceſſitatis vel utilitatis colore iſtos actus excuſandi vel ipſas res oppignoratas reluendi recuperandique.

Quousque ſemet extendat hæc oppignorandi poteſtas? Remiſſivè.

XXXI. Quousque autem ſe extendat univerſalis hæc Germaniæ de feudis Regalibus diſponendi conſuetudo, an nempe pars quarta, tertia vel dimidia ſine conſenſu Imp. alienari poſſit vel oppignorari? noſtrum hac vice non eſt, inquirere. v. Itter. *d. c. 23. §. 2. d. Frantzk. Cons. ap. Struv. I. F. c. 14. aph. 29. n. 5.* Sufficit enim nobis hic indicaſſe rerum particularium ex feudis Imp. Regalibus oppignorationem ſine conſenſu Imperatoris, jam priſco tempore à Vaſallis majoribus uſitatam, hodienum absque omni metu ammittendæ propterea

partis

partis oppignoratæ justè frequentari. Dn. Stryk. *de jur. Princ. c. allod. 6. 5. n. 11. & 12.* Quod autem effectum hujus oppignorationis tum ratione ipsius oppignorantis ejusque filiorum & descendentium, tum ratione agnatorum aliorumque spem succedendi habentium, concernit, de eo inter varias DD. sententias ea præprimis nobis arridet, quæ, quantum ad ipsum oppignorantem attinet, docet, eundem nullo modo revocare posse pignus semel validè à se constitutum; cum enim ei non liceat in casu, quo pignus ob neglectum domini consensum illicitè constitutum fuit, sub hoc prætextu id revocare, multò minus revocandi licentiam habebit, ubi ex consuetudine oppignoratio licitè fieri potuit, Gylmann. *Symph. T. 4. p. 1. vot. 3. n. 94.* Stryk. *cit. loc. n. 12.* Et revocare sic cupienti obstarent omnia ea, quæ proprio aliàs facto contravenienti solent objici, *vid. l. 25. de adopt. l. 7. §. 1. qui satisd. cog.* De filiis idem statuendum putamus, nec istos vid. oppignorationem rerum particularium ex feudo à patre factam revocare posse, idque ob tx. *2. f. 45. 1. f. 18. & 13. in fin.* succedit enim filius in feudo non tam ex persona primi acquirentis, quam potiùs mediante patre à quo jus sanguinis habet; Unde si à parente licitè quoddam onus feudo fuerit impositum, ex ipsa hac succedendi ratione & filius necesse habebit feudum ad se devolutum unà cum onere isto agnoscere, v. Struv. *I. F. c. 13. aph. 16. n. 5. ubi fusius hanc quæstionem pertractat.* Nec facienda hic ulla differentia inter feuda minora & ea, quibus regalis dignitas adhæret, neutro enim in casu filio potestatem res particulares oppignoratas revocandi competere ex generalitate textuum feudalium & eorum ratione, utrinque applicabili, rectè deducitur. Quod ipsum & in Imperio nostro ratione successoris filii in feudis Regalibus adhuc obtinere, communiter traditur, cui opinioni eò lubentiores accedimus, quò certius constat, nec contrariam consuetudinem, nec ullam Imperii constitutionem diversum edicentem hactenus repertam esse, v. H. Pistor. *l. 3. q. 4. n. 44. sq.* Michael, *Resp. Chilon. 14. p. 119.* Dn. Stryk. *supra cit. loc.* aliosque quos allegat Itterus, *d. c. 23. §. 15.*

Effectus oppignorationis hujus particularis ratione ipsius Vasalli oppignorantis,

ejusdem Filiorum.

XXXII. Difficilior multum est illa quæstio, qua in particularis nostræ oppignorationis efficaciam intuitu Agnatorum aliorumque ex pacto vel aliunde jus succedendi habentium inquiritur, an nimirum & hi ratam habere teneantur oppignorationem ex feudis Imp. factam? Quod si ex principiis juris feudalis Longobardici res hæc æstimanda veniret, jam ex iis, quæ supra *th. 21.* de effectu oppignorationis, sine

ratione agnatorum.

consensu Domini licitè susceptæ dicta fuere, constare posset, quod regulariter finito jure Vasalli oppignorantis, ejusdemque liberorum & ipsum pignoris jus solvatur; liceatque Agnato succedenti rem pignori datam pro lubitu revocare, *2.f. 29. 2.f. 26. §. Titius.* Rosenth. *c. 9. concl. 48. n. 12.* Struv. *I. F. c. 13. aph. 16. num. 1.* succedunt enim hi non beneficio ultimi agnati decedentis, sed ex pacto & providentia primi acquirentis, ut proin ultimi possessoris factum præjudicare ipsis neutiquam possit, *2.f. 45.* cum primis in feudo antiquo, (novi enim oppignorationem licitè susceptam nec filiis nec Agnatis revocare concessum.) *vid. supr. th. 22.* Struv. *c. I. aph. 14. n. 1.* Quam Juris feudalis dispositionem etiam in feudis Imp. majoribus, ex quibus sine Domini & Agnatorum consensu res particulares sunt oppignoratæ, obtinere, ut extincta nimirum Principis oppignorantis linea feudoque ad Agnatum, Confratrem aut Imperium devoluto, res oppignorata revocetur, communiter statuunt, v. Myler. *de Princ. & Stat. Imp. p. 1. c. 25. §. 19.* Ziegler. *de Jur. Majest. l. 1. c. 4. num. 28. ubi refert. Cons. JCtorum Witteberg.* Dn. Stryk. *d. diss. de jure Pr. circa allod. d. c. 5. n. 3.* Sed neque huic sententiæ simpliciter adstipulandum videtur probè enim discernenda sunt & conditio sive natura feudorum, in quæ Agnatus succedit, & ipse modus succedendi; Quid si enim feudum, in quod succeditur hæreditarium fuerit, liberaque Vasallo de partibus feudi disponendi potestas pacto quæ sita sit? hoc sanè in casu ad factum defuncti præstandum obligatos esse successores, patet ex iis, quæ de hujus fendi indole jam sæpius inculcavimus, v. Struv. *I. F. c. 14. §. 2. n. 1.* Quid porrò si Agnatus successor, non solum in feudo, sed & in ipsa hereditate defuncti Vasalli oppignorantis succedat? & sic eundem ad agnoscendum pignus quacunque ex causa & quocunque etiam feudo liciteimpositum teneri, æquitati & justitiæ convenientissimum est. Rosenth. *c. 9. concl. 69. n. 2. sq.* Carpzov. *p. 1. dec. 88. num. 7.* Michaël, *d. R. 14.* Neque aliud dicendum erit, si pro debitis feudalibus feudi particula fuerit oppignorata, cum enim ad isthæc onera subeunda ipsi etiam agnati succedentes ex æquitate moribus firmata adstringantur, ita ab iisdem quoque pignus occasione talium debitorum constitutum rarum omninò habendum erit, Rosenthal. *c. 10. concl. 43. n. 176.* Struv. *c. 14. aph. 25. num. 1. sq.* Itter. *c. 18. §. 8.* Idque tum maximè procedet, si pro ipsius feudi necessitate vel utilitate Vasallus mutuam sumserit pecuniam, sicque aliquam feudi particulam oppignoraverit, quemadmodum enim hoc in casu & Dominus & Agna-

Agnatorum jus ex natura feudorum & modo succedendi æstimandũ.

Hinc Pignus in feudo hereditario constitut. non revocant, uti nec si in reliqua hereditate succedant, aut pro debitis feudalibus pignus constitutum in feudo, præprimis si debitum contractum pro ipsius feudi

& Agnatus, ad æs alienùm hac ratione contractum exſolvendum tenentur, feudo ad ipſos devoluto, ita & pignus utut ſine eorum voluntate licitè tamen conſtitutum ſervare coguntur, Roſenth. *d. l. n.175.* Klock, *t. 3 cons. 155. num. 103.* Dn. ab Andler, *in Jurispr. publ. & priv. t. 2. t. 9. num. 80. & ſq.* Myler. *Nomol. c. 14.* §. *5. & 6.* Ex quo eſt, quod oppignorationes particulares feudorum Imper. inevitabilis neceſſitatis aut egregiæ utilitatis cauſa factas, non obſtante defectu conſenſus tum Imper. tum Agnatorum revocationi haud ſubjacere, communiter ſtatuatur, v. ſup. alleg. Gylmann. *d. t. 4. vot. 3. n. 90* Frantzk *Cons. ap. Struv. in I. F. c. 14. aph. 29. n. 5.* Ziegler. *d. J. Maj. l. 1. c. 4.* §. *28.* Michaël, *R. 14. p. 134.* Quorſum non immeritò referuntur eæ oppignorationes, quas Vaſallus anteceſſor in feudo regali ob debitum ratione dignitatis & officii Principalis contractum, conſtituit, nec enim easdem particulatim factas à ſucceſſore in Principatu revocari poſſe, ſed ſubſiſtere firmiter, etſi ex pacto tantùm & providentia ſuccedat, ob intentam per hunc actum Principatus utilitatem, rectè defenditur, Myler. *Nomol. Princ. c. 14. n. 5. ſq.* Klock. *de Contribut. c. 8. n. 79.* Roſenthal. *c. 10. concl. 63. n. 175. & qui latiſſimò hanc rem exequitur*, Michael *l. ſupra cit.* add. Grot. *de J. B. & P. II. 14. 12.* Beſold. *de ſucceſſ. Reg. l. 3. c. 2.* §. *7.* Itter. *d. c. 18. num. 8.* quod ipſum in genere ad omnes actus principalis dignitatis intuitu ſuſceptos applicari ſolere, patet ex diſſ. Tabor. *de Oblig. ſucceſſ. in offic.* nec non ex diſp. Excell. Dn. D. Pregizeri Avunculi mei ſummopere colendi *de oblig. ſucceſſ. in rep.*

neceſſitate vel utilitate,

aut dignitatis vel officii Principalis intuitu.

XXXII. Ex quibus itaque ſequitur non omnes particulares regalium feudorum oppignorationes ab Agnatis, Confratribus aut ipſo Dominio, feudo ad eum revertente, revocari poſſe, ſed tum demum creditorum jus & ratione ipſius debiti & ratione pignoris in ejus ſecuritatem conſtituti hærere in ancipiti, ſi neque utilitate neque neceſſitate feudi regalis id exigente, ſed longè diverſa ex cauſa inutiliter conflatum fuerit debitum; Id enim cum nulla ratione feudum aut Principatum reſpiciat, neque Principem in ſola dignitate ſuccedentem, obligabit, neque pignora ejus intuitu in Agnatorum præjudicium conſtituta firma erunt, ſed liberè à ſucceſſoribus revocabuntur, ſub qua limitatione admittimus, quæ tradit Gail. *2. obſ. 154. n. 4. ſq.* Tabor. *d. diſſ. de oblig. ſucceſſ. c. 5. num. 22.* Probè tamen hic diſpiciendum erit, annon feudo, in quod quaſi Vaſallus ſuccedit allodialia quædam bona ſint innexa, (quod in plerisque Germaniæ Ducatibus & Comitatibus

benè tamen ab his revocari poſſunt, ſi ex nulla planè neceſſitate vel utilitate factæ,

tatibus usu venire ex Myleri *Nomol. c. 14. §. 8.* patet,) tunc enim cum successor jure quodam universali succedat, idem quoque æs alienum eidemque accedens pignus agnoscere debebit, nec attendetur pactionatum cœteroquin id feudum esse, debitumque non intuitu dignitatis contractum, fuisse *arg. dictorum th. præc.* add. Dn. Rhetz. *in Comment. ad 1. f. 3. pag. 189. seq.* Michael, *d. R. 14.* Gail. *2. observ. 154. num. 18.* Myler. *d. §. 8.* Quando autem Princeps in necessitatem atque utilitatem feudi, vel etiam dignitatis Principalis causa contraxisse dicatur, de eo vid. Klock. *t. 2. Cons. 47. n. 119.* Gylmann. *d. t. 4. p. 1. vot. 3. n. 34. & 90.* Myler. *d. c. §. 5. sq.* Dn. ab Andler, *d. n. 80. sq.* In dubio sanè ob Principis oppignorantis eminentiam & authoritatem præsumendum erit utilitatis publicæ causa tales actus ab eodem susceptos vid. Grot. *II. 14. 12.* Quod si vero ex certissimis indiciis constet, particulares feudorum oppignorationes ex nulla penitus in feudum redundatura utilitate, sed potius ex nociva in alios profusione ortum traxisse, liberam revocandi potestatem nemo successori denegabit. v. *th. præc.* Cons. JCt. Witteberg. *ap. Ziegl. de J. Maj. l. 1. c. 4. §. 29.* Besold. *c. l.* An aut successor ex regulis prudentiæ & consilii agat, si indiscriminatim oppignorationes nulla ratione ipsum stringentes revocat, de eo hic non attinet plura proferre, v. Reinking. *de R. S. & E. l. 1. cl. 3. c. 3.* add. Exc. Dn. D. Pregizer, *d. diss. de oblig. succes. in Rep. th. 43. inf.*

Revocari autem non possunt oppignor. confirmatæ publicis Imper. constitut.

XXXIV. Ab hac tamen facultate, res particulares ex majoribus Imper. feudis oppignoratas revocandi, Agnatis concessa, meritò eximuntur eæ oppignorationes, quæ publicis Imperii constitutionibus præprimis illa Maximiliani I. *de An. 1495. & Rec. Imp. de An. 1493.* nec non Instr. Pacis Westphal. *art. 5. §. 9.* confirmatæ sunt, per hanc enim pacem Westphal. non solum factæ olim à Statibus Imper. sibi invicem, quacunque licet ex causa, oppignorationes ratæ esse jubentur, sed &, quod magis est, publicæ tranquillitatis ergò nullus in iis reluitioni locus relictus fuit, add. Stryk. *de obligat. feud. cons. mun. c. 2. n. 19.* Buckisch. *ad Instr. Pac. c. l. obs. 58.* jung. Dn. de Rhetz. *Inst. I. publ. l. 2. t. 32. §. 10.*

Quid juris in tali feudi part. oppig. creditor consequatur?

XXXV. Vidimus hactenus quid liceat Vasallo circa oppignorationem rerum particularium ex feudis Imp. Regalibus & qualem ratione Agnatorum cumprimis effectum producat; Paucis nunc videamus, quid juris creditori in talibus rebus eidem obligatis acquisitum censeatur. Ubi illud extra dubium positum est, in casu quo Creditori simplex

ſimplex tantum hypotheca vel pignus conſtitutum fuit, præter nudum jus in re in pignus ei conceſſa nihil ipſum conſequi, *per l.30. de nox. act. l.18. §. 2. ff. de pignor. action.* Ex quo fluit, quod rem quidem pignori datam naturaliter poſſideat, *l.37. d. A. R. D. l. 35. §. 1. l. 37. ff. de pignor. act.* fructus tamen ex pignore perceptos & percipiendos non ſibi acquirat, ſed in ſortem ſeu rationem exonerandi debiti computare debeat, *l.2. & 3. C. de pign. act. l.9. C. de pignor.* Cum enim Dominus civiliter adhuc poſſideat, *l.16. de uſurp. l. 36. de A. A. P.* Dominiique, quod habet, jus per hanc pignoris dationem non intervertatur, *l.12. de diſtr. pign.* eundem omnes omninò effectus, qui ex dominio fluunt, fructuumque acquiſitionem in eo fundatam concernunt, ſequentur, v. Molin. *de I. & I. tr. 2. diſp. 535. n.1. ſeq.* Klock. *de Contribut. c. 11. n.218.* Quod ſi vero particularis feudi oppignoratio, puta caſtri, oppidi vel etiam diſtrictus cujusdam, cum pacto antichretico fuerit celebrata, plenius creditori jus conceſſum eſſe ex ipſa hujus negotii indole pateſcit; quantum vero id ſit, ex ipſis oppignorationum formulis dijudicandum venit. Si enim caſtri v. g. alicujus in pignus dati antichreſis illimitata per expreſſam partium conventionem conſtituta fuerit, vid. formulam apud Dn. Strykium *de Caut. Contract. ſ. 2. c. 4. §. 34.* tunc ſanè ex hac ipſa liberiori conceſſione Creditori ejusdemque heredibus omnes fructus acquiri per *l.11. §.1. de pignor. l.17. C. de uſur.* dubitandum non eſt, in tantum, ut nihil quicquam de iis in ſortem debeat imputari, nec propterea tamen Contractus uſurariæ pravitatis labe contaminetur, cum jam ſupra *th. 6.* docuerimus, univerſali Germaniæ conſuetudine, non obſtante Juris Canonici prohibitione, contractum hunc ob incertitudinem plerunque fructuum percipiendorum pro licito reputari, v. Weſ. *p.1. c. 8. n.44.* Klock. *d.l.n.270. ſeq.* Frid. Mart. *decenſ. c.1. n.158.* B. Lauterbach. *de antichreſi th. 9.* Si vero facultas re oppignorata utendi Creditori cum addita reſtrictione fuerit tributa, vid. exemplum apud Spectat. Dn. D. Harpprecht. *Conſ. 30. in ſpecie facti*, tunc ex ipſa limitata antichreſeos conceſſione modus utendi legem & terminum accipiet, Lauterbach. *d. diſſ. th. 60.* Ne autem exiſtimes conceſſo Creditori pleniſſimo re pignorata fruendi jure ipſum dominium utile, quod penes Vaſallum oppignorantem fuit, in Creditorem tranſire, ſicque negotium in effectu ab ipſa emtione venditione cum pacto de retrovendendo non differre, uti voluere ſupra *th. 3. cit. AA.* Quam malè enim hoc ſtatuatur,

Diſting. inter ſimplicem hydothecam, & pignus cum pacto antichretico conſtitut. hoc caſu ex partium convent. fructus lucratur.

Non tamen propterea inter hoc pactum & pactum de retrovendendo

ratione effectus nulla subest differentia.

statuatur, patet partim ex iis quæ ibid. diximus, partim ex eo, quod inter duo hæc negotia infinita ferè differentia etiam hodienum intercedat, diversum ratione utriusque effectum producens: quem enim fugit per emtionem ipsius rei traditæ dominium in Emtorem transire, aut eundem ad minimum in usucapiendi conditione constitui; Creditorem vero rem pignoratam, quæ in debitoris dominio manet, *d. l. 12. C. de distr. pign.* non nisi naturaliter possidere, arg. *d. l. 12. de A. A. P.* ex quo notabili discrimine illud consectarium fluit, quod Creditor antichresticus nec ipsam rem, in antichresin datam, præscribere *l. 22. de nox. act. l. 13. de Usurp.* Lauterbach. *de J. antichr. th. 34.* nec servitutem prædio antichrestico, nec aliud simile jus, ut si gravioribus oneribus subjicere velit ditionis oppignoratæ subditos, wann er die Pfand-Schillings Unterthanen mit neuen Anlagen, Steuren, Frohn-Diensten beschwehrte, acquirere possit, v. *l. 15. §. ult. usufr.* & elegantissimè hanc in rem tradita ab Ampl. Fac. Jur. Dec. Dn. D. Harpprecht. *d. Cons. 30. n. 63. & 134.* Sic porrò rem in antichresin datam à Creditore in alium translatam vindicandi jus salvum debitori manet, quod secus se habere deprehenditur in re sub pacto de retrovendendo vendita, ea enim ab emtore in tertium translata primus venditor adversus secundum Emtorem nulla ratione poterit rei vindicationem intentare, cum non alium, nisi primum Emtorem personali actione convenire queat, *l. 2. C. de pact. int. emt. & vend.* Gail. *2. obs. 16.* Ex quibus abunde constat, quam diversi sint effectus ex diversis istis negotiis resultantes; vid. *plurimas differentias inter hæc negotia exponentem*, Biccium *de Antichresi th. 49.* add. Besold. *Cons. 180. num. 89. seq.* Klock. *de Contrib. c. 11. num. 214. seqq.* add. Wehner. *obs. pr. voc.* Pfand-schafft, *p. m. 125.* Itter. *de feud. Imp. c. 21. th. 26. & alleg. ab eo* Dn. Schilter. Præter jus ergò in re cum facultate fructus ex lege conventionis percipiendi nihil quicquam consequitur Creditor in re particulari ab illustribus Imp. Vasallis oppignorata; quid autem fructuum nomine veniat in hoc casu, ut latius deducamus, instituti nostri ratio non permittit.

Concessa omnimoda utendi fruendi facultate Creditor

XXXVI. Illud in genere certum est, concessa, e. gr. castri, oppidi oppignorati omnimoda fruendi facultate, eo scilicet modo, quo penes oppignorantem fuit, Creditori concessam esse perceptionem omnium emolumentorum sive immediatè ex re ipsa sive ejus occasione provenientium, ut puta ex Jurisdictione, venandi jure aliisque

aliisque juribus fructiferis, ex quibus ipse Vasallus oppignorans aliquod commodum sperare poterat, vid. Gail. *de arrest. c. 13. num. 18. seq. ubi recenset, quid fructuum nomine veniat*, add. Strauch. *diss. de oppignor. Imp. th. 46.* E quorum numero nec confiscationes excipiendas esse, dum de Regalium oppignoratione in genere constet, rectè ex JCt. Argentorat. *Cons. 1. vol. 1. qu. 1. statuit*, Besold. *Th. pract. voc.* Pfandschafft.

omnia emolumenta exinde percipit. ita ut nec confiscationes excipiendæ.

XXXVII. An autem Creditori pignoratitio simul etiam jus competat mutandi religionem in parte feudi Regalis ipsi oppignorata? post constitutionem publicam in Instr. P. Westphal. *art. 5. §. 27.* quærere supervacuum est, cum vigore *d. §.* nullus plane Status sive Romanæ sive Augustanæ religioni addictus fuerit cogere possit sibi subjectos, ut inviti Religionem quam in quacunque A. 1624. parte sunt professi, mutent aut solum propterea vertant, utut ex ipso *d. §. 27.* contextu liceat concludere, ante hanc constitutionem potuisse Creditores pignoratitios aliam in re oppignorata religionem introducere, vid. Strauch. *d. l. th. 50.* Buckisch. *ad Instr. Pacis art. 5. §. 27. obs. 59. & 60.* vid. tamen Besold. *in Th. Pr. d. l.*

An jus mutandi Religionem?

XXXVIII. De Jure Patronatus uti certum est, id una cum universitate vendi posse, ita nihil obstare videtur, quo minus etiam oppignoretur, *c. 13.* tx. *de Jur. patron.* ut proinde dubitandum haud sit, & creditorem nostrum antichresticum in parte feudi licitè oppignorata hoc jus exercere posse, non solum si ea facultas expressè eidem concessa, *c. 7.* tx. *de I. patron.* sed & si in genere omnium jurium, quæ oppignorans habuit, exercitium ei tributum fuerit; nec enim valida videtur, quæ inter locationem, venditionem & pignoris contractum, quoad hoc punctum à DD. comminisci solet differentiæ ratio vid. Gail. *p. 2. Cons. 14. num. 8.* Cum *c. 18.* tx. *de sent. & re judic.* obstare aliàs visum, commodè satis ex *d. cap. 7.* tx. *de Jure patron.* interpretationem recipiat de casu, scil. ubi expressè jus Patronatus fuit reservatum. Strauch. *l. supr. cit. thes. 48.* Carpz. *J. F. p. 2. const. 37. def. 22.*

Quid de jure Patronatus censendum.

Possemus & porrò de effectu hujus oppignorationis respectu Creditoris inquirere, an moroso existente debitore Vasallo, liceat Creditori uti beneficio, *l. ult. C. de jur. dom. impetr.* & an vendito tali pignore id in allodium transmutetur? an nihilominus naturam feudalem retineat? sed non vacat nunc nobis penitius in ea introspicere, hoc saltem addimus, solida ratione niti, quod Celeberr. Schil-

An beneficio *L. ult. C. de jur. Dominii impetr.* Creditor contra Vasallum debitorem uti possit?

Schilterus, *in l. 2. Inst. J. publ. t. 7.* §. *3.* habet, constitutionem scil. *d. l. ult.* vix inter status Imper. locum invenire, cum modernæ Germaniæ oppignorationes ea plerunque lege iniri soleant, ut debitori jus reluendi salvum & incolume conservetur, neque creditori pro lubitu pecuniam repetendi facultas competat, sed hic saltem pignore interim fructifero utatur, Frider. Mart. *de censib. c. 1. num. 158.* Wehner, *Observ. pract. voc.* Pfandschafften (Add. B. Lauterbach. *d. l. de I. antichr. th. 63.* ubi pactum, quod Creditori potestatem exigendi sortem adimit, quamdiu scil. res antichrestica eidem relinquatur, validum esse pronunciat,) sanè adempta hac repetendi facultate, *d. l. fin.* beneficio, quippe quod ob moram debitoris concessum est, ægrè locus patebit.

An Creditor Imperii collectas solvere debeat?

Illud sanè æquitati convenientissimum putamus, quod Creditor ob fructuum ex re particulari, de majore Imp. feudo oppignorata, perceptionem ad Collectas Imperii ex tali feudo solvendas pro rata concurrere debeat, insuperque ab eodem præstandum sit, quicquid oneris rei oppignoratæ alias est impositum, *arg. eor. quæ per l. 42. l. 52.* §. *2. de pact. tradunt* Klock. *de Contrib. c. 11. num. 220.* Dn. Schweder, *in introd. ad Jus publ. p. spec. s. 1. c. 2.* §. *13.* Itter. *de feud. Imp. c. 21.* §. *25.* Dn. Stryck. *d. J. Pr. c. allod. c. 5. n. 75. seqq.*

Quid ratione meliorامentorum obtineat?

Quid autem debitori contra Creditores, qui rem sub pacto reluitionis hypothecatam possident, observandum sit, si iisdem immodicos sumtus in rem oppignoratam factos nomine meliorامentorum repetere velint, de eo vid. Gail. *2. Obs. 12. num. 7.* & Excell. Dn. D. Schweder, *in diss. de meliorat. feud. c. 6.* §. *4.*

III. DIS-